



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus XXXVIII. De Jure Patronatus, & Ecclesiis à laicis concessis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

TITULUS XXXVIII.  
De Jure Patronatus, & Ecclesiis à laicis  
concessis.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) Mediolanen.

**D**ERELATUM ad nos est, quod inter hæredes Ecclesiæ in (b) rebus propriis constituta dividantur, & tanta per eandem divisionem similitas oriatur, ut unius (c) altaris quatuor partes fiant, & singulæ partes singulis habeant presbyteros, quod sine (d) discordia & similitate nullo modo geri potest: unde nobis visum est, quod hujusmodi Ecclesiæ inter hæredes dividi non debeant; & si in contentionem venerint, & similitates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullo modo ibi Missarum solennia celebrentur, donec illi ad (e) concordiam redeant, & pari voto, atque concilio Ecclesia illa sacerdotem canonicè habeat, qui liberè ibi suum (f) ministerium peragere possit.

NOTÆ.

1. (a) **M**ediolan. ] Ita legitur in hac sexta collectione; in prima autem, *sub hoc tit. cap. 1.* & apud Burchardum *lib. 3. Decreti, cap. 42.* Carnot. *p. 3. Decreti, cap. 46.* textus hic citatur ex Concilio Mediomatric. Et licet nulli extent canones Synodi habitæ à Carolo Magno in Mediomatrici civitate, de qua Simondus ad Capitularia Caroli, *cap. 208.* tamen quia in Synodo Cabilonensi celebrata tempore ipsius Imperatoris anno 813. transcripti fuerunt plures canones editi in Synodis præcedentibus, ideo in canone 26. ipsius Concilii reperiuntur verba hujus textus, ex quo, & antiquis Decretis ita ea restituo.

2. (b) **Ecclesia in rebus propriis.** ] Hinc apparet, jus patronatus in præsentem quæsitum fuisse ex donatione fundi ad Ecclesiam ædificandam: quo modo dominus prædii jus patronatus consequitur, *cap. Abbatem 18. quæst. 2. Lambertinus lib. 1. de jure patron. p. 1. libro 1. quæst. 7. artic. 2. Barbosa de jure Eccles. libro 3. cap. 12. num. 28.* Mancinus *sacri juris controvers. dissert. 9.* dicemus infra in *cap. nobis.* Deinde deducitur, jus patronatus Ecclesiæ appellari Ecclesiam ipsam, sicut & beneficium ipsius Ecclesiæ, & Prælati dicitur Ecclesia, *cap. præterea, capite consultit, hoc tit. c. 3. ne Prælati vices suas:* notant ferè omnes antiquiores hæc; si enim Ecclesia in præsentem acciperetur strictè pro ipsa Ecclesia, dæremus in ea successionem admitti, contra adducta in *c. 1. præb.*

(c) **Altaris.** ] Id est Ecclesiæ, plerumque enim Ecclesiæ altaria dicuntur, *capite quæsitum 1. quæst. 3.* & Ecclesia altare dicitur forsan ex eo, quod olim in unaquaque Ecclesia unum tantum erat altare, ut probat Vicecomes *lib. 3. de Missarivibus, cap. 29.* & latius dicemus in *cap. 4. de consecr. Eccles.*

(d) **Discordia.** ] Certum enim est, quod sicut vivere simul, & commorari, ita & eandem res communiter possidere difficile est, cum rerum communio plerumque pariat discordias, *l. cum pater 77. §. dulcissimis, ff. de legat. 2. l. in re communi 26. de servit. Urban.* Illustrat Forner. *lib. 3. rerum quotid. cap. 8.* Unde nemo cogitur in communione permanere, *l. 14. §. 2. ff. communi divid. l. ult. C. eod. tit.*

(e) **Concordiam.** ] Veluti ut æternis vicibus, cum Ecclesia vacaverit, presbyterum præferrent, ut plerumque fit in his rebus, quæ individue sunt.

(f) **Ministerium.** ] Hoc est Missæ sacrificium, quod frequenter ministerium appellatur. Suidas verbo *Lithurgia*, ibi: *Lithurgia propriè dicitur ministerium.* Divus Jacobus in sua *Lithurgia*, ibi: *Absolvat exhibitionem sacri hujus ministerii.* Amphilocheus in vita S. Basilii: *Ecce ad peragendum sanctum Dei ministerium. Metaphrastes in vita SS. Petri, & Pauli: Dominus sacrum obeuntes ministerium.* Illustrat Vicecomes *vol. 2. de Missarivibus, lib. 1. cap. 7.*

## CAPUT II.

## Ex Concilio (a) Triburiensi.

Quæcunque Ecclesia à compluribus coheredibus sit obfessa, concordî unanimitate undique procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuat, & cura populi irreligiosè agatur. Si verò contingat pro ea participes dissidere, & sub uno presbytero nolle eam procurare; & propterea jurgia, & contentiones, tam inter ipsos, quam inter clericos incipiant frequentari, quia juxta (b) Apostolum servos Dei non oportet litigare, Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorificè collocet eas; atque ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, ut sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordî unanimitate unum omnes eligant presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant auctoritatem Episcopi, ut in nonnullis Ecclesiis nec constituantur presbyteri, nec expellantur illis inconsultis, & non consentientibus. In epistola beati Papæ Clementis legitur: Attendendum summoperè est omnibus presbyteris, & reliquis clericis, ut nihil absque Episcopi proprii licentia agant, non utique Missas sine ejus jussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi, majores scilicet & minores, per ejus licentiam quicquid agendum est, agant. Animæ vero eorum ei creditæ sunt: ideo omnia ejus consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.

## NOTÆ.

1. (a) *Ribur.* ] *Can. 32.* ex quo litteram textus relictio: etiam ex eodem Concilio citatur textus hic à Burchardo *lib. 3. Decretis, c. 224.* Carnotensi *p. 3. Decreti, c. 283.* Papiensi *in 1. collect. sub hoc tit. c. 2.* De Concilio hoc Triburiensi nonnulla notavi *in c. clerici, de vita & honest. cleric.*

(b) *Apostolum.* ] *2. ad Timoth. cap. 2. & 1. ad Corint. cap. 6.*

2. (c) *Tollat inde reliquias.* ] Ex his verbis probat Gibalinus *de censur. disquis. 7. q. 14. n. 1.* ante tempora Alexandri III. in usu esse cœpisse in Ecclesia interdictum ecclesiasticum, & eam censuram non esse ab Alexandro III. inventam; quod infra probabimus *in c. quod in te, de penit.* In presenti autem textu PP. Ecclesiæ Gallicanæ non solum confirmantur canonem Concilii Cabilon. supra relatum *in c. 1.* verum ut plerumque Legillatores faciunt, & probat *Form. lib. 1. rerum quorid. c. 17.* addiderunt, ut tempore hujus interdicti, dum Missarum solennia & Ecclesia non celebrantur, reliquias auferret Episcopus, ostia clauderet, & suo sigillo signaret. Clauduntur enim ostia tempore interdicti, *c. quod in te, de penit. & remiss. & signantur ab Episcopo, ut cognoscatur in eis divina officia non celebrari; unde legimus, baptisteria cum baptismus celebrari non poterat, signari ab Episcopo, in Concilio Toletano 17. c. 2. de regul. fidei, ibi: Licet in initio Quadragesimæ baptizandi generaliter non claudantur mysterium; tamen ecclesiastica consuetudinis ordo deposcit, & necesse est, ut ostia baptisterii in eodem die Pontificali manu, & annulo signata claudantur, & usque in cœna Domini solennitate nullatenus referentur: ob id videlicet, ut & per signaculum Pontificium (excepto gravissima necessitate obventu) in his diebus monstraretur, per totum orbem non licere fieri baptismum, & sanctificationem: iterum Episcopali ad eam oblatione referata, signetur Dominica patere mysterium Resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini: ut quia per baptismum conscriptus est in morte Christi, resurgat cum eo*

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

*in gloria Dei. Quod quia in aliquibus Ecclesiis minime hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur, atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiam sancimus atque decernimus, ut ita à totius Hispaniæ, & Galliarum populis custodiantur, quatenus in prædicto die, initij videlicet Quadragesimæ, & ostia sancti baptisterij cum laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suo cum signaculo obsignentur, ita ut nisi in cœna Domini celebritate, quando more solito altaria debent devesiri, eadem debeant ostia referari. Inconveniens etenim res est, ut illic in præmemoratis Quadragesimæ diebus cunctis aditus pateat ad eundem, ubi non licet debitum mysterium exerceri. Quare cum dissentientibus adhuc patronis Missæ sacrificium celebrandum non erat, ideo jubetur in presenti canone, ut ostia claudantur, & signentur. Tolluntur autem reliquie in aggravationem ejusdem interdicti, ut alia etiam, licet minus rectè, olim à quibusdam clericis adhibebantur in aggravationem ipsius censure, quæ de cætero fieri prohibentur *in cap. canonici, de offic. Ordin.* tantum enim in presenti permittunt PP. à Missæ sacrificio cessare, ostia Ecclesiæ claudere, & reliquias Sanctorum auferre, ut ita perterriti clamore eorum, qui Missæ sacrificio privantur, hæredes patroni, inter se conveniant de presbytero in eadem Ecclesia instituendo, & respiciant à sua contentione, & discordia: qui etiam effectus, seu finis est censure interdicti, ut clamoribus populi superior, ob cuius causam indicitur, respiciat a contumacia, & Ecclesiæ præceptis obediat; non autem reliquie in presenti textu auferri jubentur, ut vindicta hæredum ita dissentientium, favore, & intercessione illorum Sanctorum, quorum reliquie non auferuntur, à Deo impetretur, ut nonnulli olim faciebant de quibus in Concil. Tolet. 13. can. 7. ita cavetur: *Ve his, qui faciunt opus Domini fraudulenter, & desidiosè, propheticus sermo annunciat. Et si illi vis incurrit, qui negligenter opus Domini faciunt, quod supplicium merebuntur, qui divina servitutis cultum, malitiâ intercedente, ab**

Tit altari-

altariis Christi subducunt? Illos dicimus, qui ob-  
stinata mentis doloitate confisi, cum aliqua eos mole-  
stia fratrum iurgiorum pupugerit, insanā illico  
temeritate abrepti altaria nudantes sacratis vesti-  
bus exiunt, luminaria subtrahunt, ac divinum sa-  
crificiorum cultum malitiā intercedente subducunt.  
Et quod in hominibus se vindicare non possunt, inju-  
riam Deo (quod peius est) inferunt. Unde si huius-  
modi pro fraterno odio homicida reatu adstringitur,  
pro contemptu divino quid pena merebitur? Etenim  
iuxta quod divinus sermo increpat: Si peccaverit vir  
in virum, placari ei potest Deus: si quis autem pecca-  
verit in Deum, quis pro eo rogaturus est? Facile ergo  
sacerdotum excessibus illa Domini sententia co-  
aptabitur, quā malitiā percutitur sacerdotum. Di-  
cit enim: Honorificantes me honorificabo; qui autem  
contemnunt me, erunt ignobiles. Quicumque ergo  
sacerdotum, vel ministrorum deinceps causā cuiuslibet  
doloris, vel amaritudinis permotus, aut altare di-  
vinum vestibus sacratis excuere presumpserit, aut  
qualibet alia lugubri veste accingit; seu etiam si cor-  
fuerit a luminariis sacrorum obsequia de templo Dei  
eduxerit, atque (quod peius est) occasionem nutrierit,  
unde de templis Domini aut officia consecrata desint, aut  
oblato singulari sacrificii videatur in aliquo defrau-  
dari, si eum antea vere penitentiis coram Metropo-  
litano satisfactio non purgaverit, ignobilitati perpe-  
tue mancipatus, iuxta superiorem sententiam Domi-  
ni, & loci sui dignitate se noverit; & honore privari.  
Illis proculdubio per se ab hac ultionis sententia se-  
paratis, que aut contaminationem sacrorum ordinum,  
vel subversionem sancte fidei metuentes, aut hostilita-  
tem, vel obidionem perferentes, seu etiam divinum  
iudiciorum sententiam metuentes, talescisse contige-  
rit, in quorum factio plus humilitas, quā Deus placeat,  
quam interni laboris doloitas declaratur. Qui  
abusus apud aliquos valde ignaros irrepit ex facto  
Episcopi Aquensis, quod refert Gregorius Turon.  
de gloria confessor. c. 71. his verbis: Demque condem-  
natus spoliatusque sacerdos ad urbem rediit, at que po-  
stratus in oratione coram sepulchro Sancti, dicto psal-  
mi capitulo, ait: Non hic accendetur lumen, nec psal-  
morum modulatio canetur gloriosissima Sancte, nisi pri-  
us ulciscaris servos tuos de inimicis suis, resque; tibi vi-  
olenter ablatas Ecclesie sancte restituas. Hęc cum la-  
chrymis effatus, sentes cum acutis aculeis super tumu-  
lum projecit, egressusque, clausis ostiis, similiter in in-  
gressu alias collocavit. Typus is erat delicti penitus  
loci. Nec mora, corrumpitur pervasor a febre. Decum-  
bit in lectulo, exhorret cibum fastidit, & potum pro-  
fert astuans iuge suspirium. Cui etiam si interdum ab  
ardore febris suis accederet, aquam tantum, nihil ali-  
ud hauriebat. Quid plura? in hac agrotatione in-  
tegrum ducit annum, sed mens prava non flectitur. In-  
terea labitur cæsaries cuncta cum barba, & ita omne  
caput remansit nudum, ut putares eum olim sepul-  
tum, nuper erectum fuisse post funera de sepulchro, Re-  
fert etiam Baronius anno 579. n. 579. n. 16. Verum  
hęc, & similia Sanctorum facta admiranda potiùs  
sunt, quā imitanda.

## COMMENTARIUM.

3. **EX** his duobus canonibus sequens communiter  
deducitur assertio: Juspatronatus inter heredes  
dividi non debet; & si propter eorum discordiam pres-  
byter non presentatur, cessatur à Missæ sacrificiis, do-  
nec unus pari voto, & consilio eligatur. Probant eam  
textus in c. considerandum. c. si plures 16. q. 7. c. 3. hoc  
tit. Consonat lex 10. & 12. tit. 5. partit. 1. Illustrant  
ultra congestos in presentia Garanna & Barbosa,  
idem Barbosa de potest. Episcop. alleg. 72. num. 70.

Lælius Mancinus sacri juris contro. c. 9. Petrus  
Greg. lib. 17. syntag. c. 4. & de benef. c. 17. num. 5.  
Filelacus in cap. 4. de offic. Ordin. Valenzuela 1.  
tom. consil. 65. Duarenus de sacris Eccles. ministr.  
lib. 5. cap. 4. Moneta de commutat. cap. 12. n. 134.  
Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris  
consideratione; nam juspatronatus spiritualibus di-  
citur annexum in c. quanto 3. de iudic. c. de iure 16.  
hoc. tit. sed in spiritualibus nulla datur successio  
hereditaria, cap. 1. de presbend. cap. consuetud. hoc pres-  
tit. cap. ad hac, de decimis, cap. Apostolica 8. quæst. 2. c. 1.  
Ergo juspatronatus nec in solidum, nec pro parte  
ad heredes transire potest. Augetur primo hæc  
dubitandi ratio ex eo, quia juspatronatus incorpo-  
rale est, cum tangi non possit, l. si quadam, ff. de  
rer. divis. ac per consequens individuum est, l. 2.  
§. & harum, ff. de V. O. sed individua in solidum  
competunt pluribus heredibus, d. l. 2. §. ex his, l.  
4. §. Cato, l. stipulationis, §. quando ff. de V. O. &  
tam activè, quā passivè in solidum ad heredes  
transiunt, l. si via 26. ff. de servit. Rust. l. ult. de  
servit. legata, l. si unus 19. in fin. de Serv. Rust. l. here-  
des 25. §. in ea, ff. famul. ercisc. l. fideicommissa 11. §.  
si in opere, ff. de leg. 3. Valent. tom. 2. illustr. tract. 4.  
c. 7. n. 30. igitur si in presentia specie supponitur  
juspatronatus transire ad heredes, debebat transire  
in solidum. Tandem difficilis redditur hæc asser-  
tio ex eo, nam ecclesiasticum interdictum causa  
civilis, vel ob delictum tantum unius parochiani  
imponi non debet, cap. 2. de his qua sunt à major. c.  
licet. 3. de penis, Covar. in cap. alba 2. p. §. 1. de  
sent. excom. lib. 6. Suarez de censur. diff. 36. §. 1.  
igitur ob discordiam patronorum in eligendo  
presbytero quoad regimen ecclesie, non debent  
prohiberi divina officia in ipsa Ecclesia.

Adhuc tamen defendenda est præfata assertio,  
pro cuius expositione sciendum est, inter modos, quibus  
juspatronatus ecclesiasticum semel acqui-  
situm, ad alios transfertur, præcipuum esse succel-  
sionem; defuncto enim patrono juspatronatus non  
ad consanguineos, sed ad heredes institutos per-  
tinet, quia non iure sanguinis, sed iure hereditario  
defertur, c. si plures, c. filius 16. q. 7. Clement. plures,  
hoc tit. cap. significavit 41. de rebus, autem. de SS.  
Episcopis §. si quis 18. collat. g. l. 8. cum sequent. tit. 15.  
partit. 1. docent Lambertinus p. 2. lib. 1. q. 2. art. 14. Di-  
dacus Perez in l. 1. tit. 6. lib. 1. ordin. Covar. lib. 2.  
var. c. 18. n. 6. Duarenus lib. 5. de sacris eccles. c.  
4. Costa in c. si pater, verbo Trebellianica n. 4. de re-  
stam. lib. 6. & ad filios, non ut filios, sed ut he-  
redes transit; unde si heredes non sint, aut qua in-  
stituti non sint, aut quia instituti non reperiantur,  
aut quia hereditate se abstinerint, non admittun-  
tur ad juspatronatus. Riccius in praxi aurea, re-  
sol. 131. Covar. ubi proximi, n. 7. etiam si fuerint  
meliorati, atque meliorationem agnovierint, quia  
cum titulus ille hereditarius non sit, ut arguuntur  
legis non amplius 26. §. cum bonorum, ff. de legat. 1.  
l. ex facto, 35. §. unde ff. de hered. instit. probant Tel-  
lus Fernandez in l. 21. Tauri, n. 2. Matienzo eul. 5. tit.  
6. lib. 5. recop. non est sufficiens, ut juspatronatus fi-  
lio meliorato deferatur. Spino in speculo, l. 4. n. 45.  
Moneta de commut. c. 11. n. 134. Nec obstat lex 21.  
Tauri, quæ est lex 5. tit. 6. lib. 5. recop. ubi filii  
meliorati habentur pro heredibus. Nam responde-  
tur, in casu speciali ipsius legis haberi loco here-  
dum, videlicet quoad solvenda onera paterna;  
& in iure diversum censetur esse hæ-  
redem, aut haberi pro herede, cum aliud sit esse  
tale, aliud haberi pro tali, l. si maritus, §. 1. ff. ad leg.  
jud. de adult. l. mercis ff. de V. S. docuerunt Matienzo

in d. l. 5. gloss. 4. Ca. titlo in d. l. 21. unde textus in d. c. filius, in illis verbis: *Filius, & nepotibus, & propinquis, &c. constitutum, ibi: Ipsius conditoribus, aut certe propinquis eorum*, 16. q. 7. accipiendi sunt quando filii, vel alii propinqui heredes instituti sunt, non verò si extranei instituti reperiantur, ut colligitur ex d. c. filius: ibi: *Ipsius tamen heredesibus*. Nam si extranei heredes instituti sint, ad eos pertinet jus patronatus, non ad filios, ut docent Lambertinus d. p. 2. q. 2. art. 1. Molina lib. 1. de primog. c. 8. n. 6. qui resolvunt, quod si in fundatione Ecclesie à patrono reservatum fuit jus patronatus pro se, & filiis suis, id intelligitur factum, non ut filiis, sed ut heredesibus, ut post Bartolum, & Covar. resolvit Gratianus lib. 3. discept. c. 577. n. 45. quæ omnia cessant, si patronus eam adhibuit conditionem, ut in ipso jure patronatus succederetur jure sanguinis; tunc enim tale jus erit familiare, & gentilicium, & ad proximiores consanguineos spectabit. Lambertinus ubi supra, artic. 2. Selva de benef. 3. p. quæst. 111. num. 5. Nogueroi. alleg. 28.

6. *Heredes in stirpe non in capita succedunt.* Secundo sciendum est, quod licet jus patronatus ad heredes pertineat, non tamen pertinet ad eos ut heredes, sed quia sunt heredes; id est, non pertinet pro portionibus hereditariis, sed ipsi in stirpe succedunt. Clement. plures, hoc tit. Tiraquel. de jure primog. q. 36. num. 3. Gratianus lib. 3. discept. cap. 521. Quod licet olim fuisset valde controversum, nam Tancredus, Bernardus, & Joannes Andreas in præfenti existimantur in quolibet heredem transire jus patronatus in solidum quoad omnia, tamen ex dispositione Clementis V. in dict. Clement. plures, prævaluit sententia Hostiensis asserentis, quoad jus præsentandi heredes succedere in stirpe, ita ut plures heredes unius patroni tantum unam vocem obtineant: quæ doctrina juris principis valde consona est; nam plures habentes causam ab uno, habentur loco unius, c. pastorals, de rescript. c. licet 47. verb. *statuimus, de testibus*, l. si eum, §. qui injuriarum ff. si quis caut. l. filii 28. §. 1. de condit. & demonstr. Sed heredes unius patroni succedunt in unius vocem, & ipsum repræsentant, audent. de jurejur. à moriente, collat. §. ergo unam tantum vocem habere debent. Accedit, nam alias si ex duobus patronis unus decederet pluribus heredes institutis, extenuaretur vox superstitis patroni sine facto suo; quod admitendum non est, argumento textus in cap. sedes 15. de rescript. spol. l. 1. §. sed si, de Carbon. edit. Expendi etiam potest pro hac sententia textus in l. cui fundus 56. ff. de condit. & demonstr. juncto Chesio interpret. jur. c. 26. ubi plures heredes habentur loco unius. Hæc tamen sententia locum non habet in jure patronatus familiari, ubi potius jure sanguinis, quam hereditario succeditur; quia cum tanquam consanguinei admittantur, in capita succedunt. Gratianus tom. 2. discept. cap. 218. Tondutus tom. 1. resol. canonic. c. 32. qui latè disputat, quando gentilium, seu quando hereditarium dicatur jus patronatus. Nec prædicta doctrina procedit in jure patronatus libertorum, ubi non hereditario, sed sanguinis jure successio defertur; siquidem ad filios, non ut heredes, sed ut liberos spectat, l. filii 9. ff. de jurepatron. l. ut jurisjurandi 7. §. si liberi, l. si operarum 29. ff. de oper. libert. l. si patronus 12. §. ult. l. patroni filia 39. ff. de bonis libert. Chumacero select. jur. cap. 1. Valentia lib. 3. Illustr. tract. 3. num. 25. c. 4. in qua parte observandi sunt textus in l. cum sine 11. ff. de Carbon. edit. juncto Merillo lib. 1. obs. c. 20. l. 1. §. fin. l. 2. §. 3. ff. de assign. libert. juncto Pinello lib. 1. select. cap. 8. num. 16. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

l. Paulus 47. §. finali, ff. de bonis libert. juncto Cujacio lib. 3. q. 99. Papin. in l. 42. ff. eod. tit.

Ex quibus provenit vera ratio prioris partis præfentis asserentionis, nam cum heredes succederent in hac specie in locum unius patroni, unam tantum vocem obtinebant, & ita injustè intendebant Ecclesiam dividere, & tot clericos præsentare, quot ipsi heredes erant. Quod etiam procedebat, si ex inæqualibus, si ex æqualibus portionibus essent instituti, ut docent Butrius, & Cardinal. in præfenti, Lambertinus de jurepatron. lib. 1. p. 2. art. 24. Facit textus in l. vel quod 6. ff. de relig. & sumptibus: ubi jura sepulchrorum æqualiter transeunt ad omnes heredes, etiam si unus ex eis ex minima parte fuisset institutus. Hoc etiam procedit, si plures sint heredes unius patroni, & alterius pauci, veluti si unus patronus decem, alter duo relinquat; nam eo casu æqualiter unam vocem habent decem, ac duo. Barb. de post. Episc. alleg. 72. num. 70. nec interest, an ex testamento, an ab intestato succedant; ex linea recta, an ex transversali proveniant: quia semper ex ratione supra tradita plures heredes tantum unam vocem habent, & unum clericum præsentare valent. Spino in specul. gloss. 4. n. 62. Gratianus tom. 3. discept. 521. Didacus Perez in l. 1. tit. 7. lib. 1. ordin. Posterioris verò partis præfentis asserentionis ratio ex eo provenit, nam cum diuturnus defectus Rectoris in Ecclesia sustineri non debeat, ex adductis in c. ne pro defectu 41. de elect. ideo Episcopus modis omnibus cogere debet patronos, ut concordati animo, parique consilio ac voto in unum presbyterum consentiant, qui divina officia in ipsa Ecclesia possit celebrare, & interim ostia claudere, & signare, ut ita perterriti patroni ad concordiam reducantur.

8. *Diffoletur dubitatio.* Nec obstat dubitandi ratio supra expensâ; nam licet juris attento rigore in patronatu Ecclesiastico successio dari non possit, tamen speciali favore, & gratiâ Ecclesia admittit in eo successionem hereditariam, ut hac remuneratione laicos ad Ecclesiarum fundationem, & earum dotationem alliceret, ac invitaret, ut docuerunt D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 4. Berojus & Panormitanus in præfenti, Covar. practico. c. 36. & lib. 2. var. c. 12. Didacus Perez in l. 1. tit. 6. lib. 1. ordin. & si adhuc scisciteris, quare ex eadem gratiâ, & ratione Ecclesia patronis non concessit successionem in beneficio ecclesiastico Ecclesie à se constructæ, seu dotatæ, ut concessit jus patronatus? Respondeo id provenire ex singulari discrimine, quod versatur inter beneficium, & jus patronatus; nam beneficium ita annectitur Ecclesie, & rebus spiritualibus necessario, & consequenter, quod sine ministerio spirituali consistere non potest, & ab eo, tanquam à causa principali dependet, cap. si quis obierit 1. q. 3. at jus patronatus accedit spiritualibus antecederet, quia præsentatio præcedit beneficii institutionem, c. decernimus 16. q. 7. nec virtute præsentationis aliquid jus in re, vel ad rem habet præsentatus, sed tantum petere potest, si dignus est, institutionem, per quam confertur beneficium ipsum, c. quod autem, de jurepatron. unde cum in jure patronatus accessio spiritualibus non ita propinqua sit, & immediata, ac in beneficio ipso, receptam fuit laicos sibi, & suis heredesibus jus patronatus reservare licere; non tamen sibi, aut suis heredesibus beneficium posse retinere. Nec hanc differentiam rationem evertit textus in cap. consuluit, hoc tit. ubi Pontifex eadem ratione, quâ olim moti fuerunt facti canones ad improbandam successionem in beneficiis

ficiis ecclesiasticis, scilicet, ne sanctuarium Dei jure hereditario possideatur, *cap. plerique 20. 1. quest. 1. cap. ad decorem, de instr. cap. ad hac, de decimis*, movetur ad removendam successione in jurepatronatus, ut constat ex illis verbis: *Cum Sanctuarium Dei jure hereditario teneri non possit, non decet ut clerici Ecclesias à parenibus fundatas proprià auctoritate detineant, aut laici filius, vel aliquibus aliis concedant easdem.* Ex quibus deduci videtur, nullum inter successione beneficii & juspatronatus constitui posse discrimen, cum utraque prohibita sint, & eadem ratione prohibeantur. Nam responderetur, in eo textu nequaquam agi de successione juspatronatus, cum dubitari non possit post hos sacros canones à laicis possideri posse, *d. cap. filius, cum sequent. 16. q. 7.* Agebatur enim in eo textu de quibusdam laicis, qui intendebant ratione juspatronatus non solum presentationem ad beneficium, verum & ipsi Ecclesias conferre, ac de his pro arbitrio disponere posse; quod justè improbat Pontifex, cum patrono tantum competat jus presentandi ad beneficium; collatio autem ad Episcopum spectet, *cap. præterea, cap. cum laici, cap. relatum, cap. finali, hoc tit. cap. 3. de privil. cap. ex frequentibus, de instr.* Unde docet Pontifex, patronum non succedere in Ecclesiis à se, vel majoribus constructis, ut in aliis bonis temporalibus; sed tantum jus presentationis habere.

Nec obstat quod dicebamus, videlicet juspatronatus individuum esse, & per consequens unicuique ex hæredibus in solidum competere, quia licet id verum sit, & facile ex hoc capite deducatur; tamen non est ita absolute accipiendum respectu omnium effectuum, qui ex patronatus jure proveniunt; sed tantum respectu eorum, qui individui sunt, nam quid dividuum, vel individuum esse judicatur ex rebus, quæ in eo continentur; ita ut quoties res dividua sit, dividatur; quoties verò res ipsa dividi non potest, talis res individua dicatur, *l. 2. §. de harum. ff. de V. O. Faber lib. 3. conject. c. 17. Gomez lib. 2. variar. c. 1. Valentia lib. 2. illust. tract. 4. c. 1.* igitur singuli hæredes patroni erunt in solidum quoad honorem processioneis, de quo *in c. pia mentis 16. q. 7.* & respectu alimentorum, quæ tempore egestatis patronis præstantur, *c. nobis 25. hoc tit.* nec non respectu defensionis Ecclesiæ; quæ patronis incumbit, *c. filiis 16. q. 7.* Ratio est, quia presentatio honoris pro parte fieri non potest, cum operetur tantum præstatio respectu partis, quantum totum respectu totius, argumento legis unice, *C. de ingrat. libert.* Deinde quia alimentorum præstatio, quæ patrono debetur, non potest pro parte fieri, *l. 3. §. final. l. pecunia, ff. de aliment. legat. Surdus de aliment. lib. 9. q. 14.* Sic etiam onus defensionis Ecclesiæ cuiuslibet in solidum competit, quia in facto consistit, quod individuum est, *l. 2. §. item si in facto, ff. de V. O. l. loci corpus, §. si fundus, ff. si servitus vind. circa alium verò effectum juspatronatus, videlicet presentandi Rectorem ad ipsam Ecclesiam, non leve dubium est; nam videtur dividuam esse talem facultatem presentandi, cum usufructus omni consideratione dividuus sit, *l. usufructus §. l. etiam 43. l. si mihi 49. ff. de usufruct. l. 1. §. si usufructus, l. sed usufructus 81 ff. ed leg. Falcid. l. 1. ff. de usufruct. accresc. l. communi 7. §. sed etsi, ff. communi divid. cum in fructu consistat, & emolumentum rei contineat, l. Marcius 66. §. fundo ff. de leg. 2. Valentia ubi supra,**

9.  
Respon-  
detur  
secundæ  
difficul-  
tati.

*c. 7. Sed presentatio Rectoris spectat ad fructum juspatronatus. c. consulationi, hoc tit. Balboa in c. cum Bertholdus de re judic. igitur pro ea parte dividuum debet esse juspatronatus. Sed verius est, quoad presentationem Rectoris esse etiam individuum juspatronatus, licet non ita sicut quoad alios effectus; nam hæc facultas presentandi in facto consistit: sed ea, quæ in facto consistunt, individua sunt, ut supra probavi: ergo etiam hæc facultas. Deinde nam juspatronatus potius equiparatur aliis servitutibus, quam usufructui, ut defendit Azor *lib. 3. instr. c. 20. q. 9.* Sed omnes alie servitutes individua sunt, ut probat Valentia ubi supra: ergo jus presentandi individuum est. Hæc tamen sententiâ retentâ, non inde asserendum est, ad quemlibet ex hæredibus transire in solidum juspatronatus, sed ad omnes simul; jus enim hoc transit ad hæredes sicut defunctus habebat, sed patronus tantum habebat unam vocem: ergo & hæredes unam tantum debent habere, licet sint patroni in solidum, ut contingit in jurisdictione pluribus simpliciter delegata; nam ita transit in quemlibet, ut simul per omnes exerceri debeat, *l. duo ex tribus 39. de re judic. l. prædictam 21. c. causam 26. de offic. deleg. aliis pro una voce patroni defuncti darentur tot voces, quot hæredes illi existunt. Nec obstat augmentum dubitandi rationis; nam in presenti specie non prohibentur divina officia celebrari in Ecclesia juspatronatus ob causam pecuniariam, vel delictum privari, sed ob discordiam patronorum, qui alio modo citra scandalum ad concordiam cogi nequeunt, nec alio modo ipsi Ecclesiæ provideri valet.**

Sed adhuc supra traditis opponi potest textus *in Clement. plures, hoc titulo:* ubi statuit Clemens V. quod si patronus pluribus hæredibus relicto defunctus, eos omnes unam dumtaxat vocem habere; ut facilius autem Ecclesiæ vacanti provideatur, possit eos inter se pacisci, ut Rectores alternatim presentent, vel plures Episcopo proponant, ut ab ipso unus eligatur, qui possit in Ecclesia ministrare. Et quo textu deducitur, dissentientibus patronis circa presentationem, posse inter eos convenire, ut alternis vicibus Rectores presentent: simulque de promittitur, posse plures Rectores ab hæredibus unius patroni presentari: quod aperte advertatur presentati assertioni. Etiam difficilis est idem textus dum in eo docetur, incertam, & alternatim presentationem valere, contra expressam decisionem textus *in c. 2. de elect. lib. 6. ubi tales electiones nullius momenti esse asseritur.* Pro cuius expositione sciendum est, in eo jus novum constituit à Clemente V. ut ita facilius provideatur Ecclesiis vacantibus: licet enim in presenti capite 1. asseratur juspatronatus esse individuum, tamen non negatur, usum, seu exercitium ejus esse dividuum, & ita alternis vicibus posse patronos Rectores presentare. Nec quod de alterno usu ibi constituitur, novum est; siquidem *in l. quotiens 34. ff. de usufruct. asserit Julianus, quod si duobus ejusdem nominis usufructus legeretur, debent legatarii inter se convenire, ut alternis annis unus post alium usufructu fruatur, aliis ad invicem se impediant: & in l. cum constet 5. ff. de aqua quotid. altum Consultus, iudicium communi dividendo dari inter plures, quibus aquam ducere ex fonte permissum erat, ut alternis temporibus, & mensibus ea servitute utantur. Idem in similibus casibus observatum legitur *in l. 2. in princip. & §. ult. l. si usufructus, ff. quibus modis usufructus, l. 2. ff. quando**

quando dies usufructus. cap. ult. de prebend. in 6. l. si sic constituta, ff. quemadmodum servit. l. communi, §. cum de usufructu, ff. communi divid. l. arbor, §. ult. l. si convenerit, in princip. ff. eod. l. & hac distinctione, §. cum fundum, ff. locati. l. & puto, §. usufructus, ff. famil. ercis. & apud Senecam Tragicum in Thiestre legitur Thiestrem, & Atrum fratres, cum ad concordiam reduci non potuissent, alternis annis regnasse: latè illustrat Tiraquellus de primog. quest. 17. oppos. 6. Nec refragatur textus in d. cap. 2. de elect. lib. 6. nam textus ille procedit in electionibus, in quibus incertitudo persona præstat impedimentum, quod non versatur in præsentatione; quia per electionem statim jus acquiritur: at præsentatio potest fieri de pluribus conjunctim, vel alternativè, quia ex ea nullum jus acquiritur, donec præsentatus institutus sit ab Episcopo: docuit Abbas in cap. querelam 24. num. 6. de elect.

II.  
Exponitur cap. querimoniam, hoc tit.

Sed adhuc supra traditæ solutioni obstat textus in cap. querimoniam, hoc tit. ubi cum agatur de præsentatione legitime facta à patrono, revocata ab ejus successore, docetur hujusmodi vicissitudines Ecclesiarum fieri non debere à patronis: ex qua decisione Innocentius ibi deducit, non licere patronis alternis vicibus in præsentationibus Rectorum uti, idque prohiberi illo verbo vicissitudines, quod alternationem significat, ut constat ex Tito Livio lib. 3. ab Urbe condita; ubi dum refert apud Romanos Decemviros alternis diebus fasces habuisse, id postea appellat vicissitudinem imperandi: unde Nicolius in appendice vocum barbarum Tullii, alternitatem in vicissitudinem vertit: igitur non rectè in d. Clement. plures, permittitur alternatio, seu præsentatio alternativa patronis. Agnoverunt difficultatem Glossa, & antiquiores in eo textu, qui docuerunt, vicissitudinem ibi significare permutationem, ut patronis non liceat inter se juspatronatus permutare: sequitur eos Lambertinus de jure patron. 2. p. lib. 1. quest. 7. art. 36. Sed facile cognoscitur quam aliena sit hæc interpretatio à questione, & decisione ipsius textus. Quare eà sententiã omisã, dicendum existimabam, ibi vicissitudinem significare mutationem, ut apud Ciceronem in Lucio, lib. 5. ibi: Nihil est apud delectationem lectoris, quam temporum varietas fortunæque vicissitudines. Et 1. Tuscul. ibi: Tum vicissitudines dierum, atque noctium. Terent. in Eunuch. ibi: Omnium rerum vicissitudo est. Unde cum in ejus textus specie ageretur de mutatione Rectoris legitime præsentati per successorem non faciendã, eleganter dixit Pontifex, vicissitudinem, id est mutationem non permitti.

12.  
Exponitur cap. quoniam hoc tit.

Deinde supra traditis obstat textus in cap. quoniam 3. hoc tit. ubi proponuntur plures hæredes unius patroni, qui varios Rectores præsentare intendebant: & jubetur Patribus Concilii Laterani. quod eo in casu ille presbyter ab Episcopo instituat, qui à majori parte hæredum, præsentatus fuerit, & si id citra scandalum fieri nequeat, Episcopus instituat in Rectorem, quem maluerit, idque ipsum faciat, si ob controversiam inter Patronos ortum nullus ab eis præsentetur sacerdos. Ex quo textu duplex insurgit difficultas in præsentem assertionem. Prima, nam si ob dissentium patronorum certus non eligebatur Rector, quomodo Missarum solennia non interdicuntur, immò potius facultas datur Episcopo instituendi quem maluerit? Secunda, nam ad hoc, ut ob negligentiam patronorum præsentatio devol-

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

vatur ad Episcopum, semestre tempus expectari debet: ergo non rectè post quatuor menses in eo textu permittitur Episcopo institutio ipsius Rectoris. Primæ difficultati respondendum est, in eo textu diversum casum proponi, ac in præsentem deciditur; loquitur enim cum altero omitente, alter præsentando possessionem juspatronatus acquireret: quare loco ejus verbi, *dissentione*, legitur in Concilio Lateran. *defensione*. Controverbia enim inter hæredes vertebatur circa juspatronatus, & interim omnes vacante Ecclesia ob defensionem juris proprii plures præsentare possunt, & tunc Episcopus debet instituire à majori parte præsentatum: præsens verò assertio procedit, quando hæredes nullè lite moti, cum omnes veri patroni essent, ob discordiam plures præsentabant; tunc enim remediis in præsentem relatis cogendi erant pari voto unum præsentare, juxta istos antiquos canones, antequam jus devolutionis inductum esset in Concilio Later. relato in dicto cap. 3. post quod elapso termino devolvitur jus præsentandi: & ita utendum non est remediis præsentis textus. Secundæ difficultati satisfaciendum est discrimen constituendo inter patronos laicos, & ecclesiasticos: si ad seculares pertineat juspatronatus, quadrimestri elapso Episcopus instituere potest quem maluerit; si vero ad ecclesiasticos spectet, semestre expectatur. Primo casu procedit textus in dict. cap. quoniam, ubi Raymundus transcripsit infra quatuor menses, cum in Concilio Lateranensi legatur infra tres menses, respiciens ad Alexand. III. relatum in cap. cum propter, hoc tit. Secundo casu loquuntur textus in cap. eam re, hoc tit. cap. 2. de supplem. neglig. ubi monachis patronis semestre conceditur ad præsentandum, quia juspatronatus illis competens ecclesiasticum censetur, c. unic. §. final. hoc tit. lib. 6. dicemus latius infra in dict. cap. eam re.

Tandem obstat textus in cap. cum vos 4. de offic. ordin. ubi refertur, in Metropoli Cantuariensi plerumque Ecclesiam juspatronatus vacare ex eo, quod minus idonea personæ Episcopo præsentabantur, aut ob dissentium patronorum certus Rector non eligebatur; unde Alexand. III. jubet Archiepiscopo Cantuar. ut in similibus casibus in Ecclesia vacante æconomum constituat, qui possit ipsius Ecclesie fructus percipere, & successori retinere. Et quo textu deducitur, dissentientibus patronis non esse Missarum sacrificia in Ecclesia vacante interdicenda; sed potius æconomum esse constituendum ab Episcopo. Deinde difficilis est textus ille, nam ut proximè dixi, transacto semestri, potest Episcopus instituere Rectorem in ipsa Ecclesia, quem maluerit, cap. eam re, cum propter, hoc tit. igitur non debet æconomum apponere, sed presbyterum ibi ordinare. Pro cuius textus expositione discrimen est constituendum inter eum casum, in quo lis tractatur inter patronos ipsos, aut extraneas personas; & inter eum, in quo discordia versatur inter laicos vindicantes juspatronatus, & Episcopum asserentem Ecclesiam liberam esse ab omni jurepatronatus. Primo casu potest Episcopus remediis in præsentem relatis cogere patronum ad consentiendum in unum, vel attento Concilio Later. transacto legitimo tempore ob eorum negligentiam instituere in Rectorem quem maluerit. Secundo verò casu tantum æconomum apponere potest. Ratio est, quia

13.  
Exponitur cap. cum vos, de offic. ordin.

si tunc curreret tempus patronis ad presentandum assignatum, saepe simularet Episcopus causas negaretque jus patronatus illis competere, ut sic

elapso termino à jure statuto; presentatio ad ipsum devolveretur, ut jam in ejus commentario notavi.

## CAPUT III.

## Ex Concilio (a) Lateran.

**Q**uoniam in quibusdam locis fundatores Ecclesiarum, aut hæredes eorum potestate, in qua eos Ecclesia usque huc sustinuit, abutuntur; & cum in Dei Ecclesia (b) unus debeat esse, qui præsit, ipsi plures sine respectu subjectionis eligere moluntur; & cum una Ecclesia unius esse debeat Rectoris, pro sua defensione plurimos repræsentant. Quocirca præsentati decreto statuimus, ut si fortè in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesie, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & probatur assensu: si autem hoc sine scandalo esse nequiverit, (c) ordinet Antistes Ecclesiam sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam, & id ipsum etiam faciat, si de jure patronatus quæstio emerferit inter aliquos, & cui competat, infra tres (d) menses non fuerit diffinitum.

## NOTÆ.

(a) **L**ateranensi. ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 4. & reperitur textus hic in Concilio Generali Lateranensi celebrato sub Alexandro III. cap. 17. de quo Concilio nonnulla notavi in cap. nonnulli 27. de rescriptis.

(b) **Unus debeat esse.** ] Juxta adducta in cap. majoribus, de præbendis.

(c) **Ordinet Antistes.** ] Juxta facultatem sibi à jure concessam, de qua in sequenti commentario agemus.

(d) **Tres menses.** ] Licet in prima collectione ita legatur, & in ipso Concilio dict. cap. 17. tamen in aliis codicibus legitur quatuor, ut jam notavit Anton. Aug. in not. ad dict. 1. collect. & in epist. jur. lib. 15. tit. 6. cap. 2. & rectè, ut consentiat textus hic ipsi Alexandro relato in cap. cum propter, hoc tit. Illud tamen discrimen notum est inter patronos ecclesiasticos, & laicos, quod si jus patronatus spectet ad laicos, quadrimestre tantum tempus illis competit, dict. capite cum propter; si verò ad ecclesiasticos, semestris illis conceditur, cap. eam te, hoc titulo, ubi rationem hujus discriminis assignabimus.

## COMMENTARIUM.

2. **I**n præsentati canone Concilii Later. statuunt IPP. quod si patroni, aut eorum successores in ipso jure patronatus plures Rectores præsentaverint ad Ecclesiam vacantem, non quia plures præsentare intendunt, & inter se non consentiunt, ut in commentario antecedenti; sed singuli singulos eligunt, ob defensionem juris proprii, qui dignior sit, & à majori parte patronorum præsentetur, instituendus est; quod & docuerunt Mantica decis. 86. num. 4. Rota apud Farinacium tom. 1. decis. 202. & 208. Tufchus liter. P. conclus. 145. Silva de qualitat. Pralat. num. 58. & hodie in praxi recepta est præsentatio, etiam cum nulla controversia mota est de jure patronatus, sed plures sunt legitimi patroni; illis enim dissentientibus in præsentatione, ille præfertur, & instituendus est, qui à majori parte eorum præsentatus reperitur, ut probant Lambertinus de jure-

patron. lib. 2. p. 1. artic. 3. quæst. 10. Thom. Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 60. Riccius in praxi. tit. de jure patron. decis. 188. Lara lib. 2. de capel. cap. 9. num. 38. Spino in spec. gloss. 4. num. 24. Alex. Ludovic. decis. 94. num. 10. Barbolà lib. 3. jur. Eccles. cap. 12. num. 71. & alleg. 72. num. 14. Major autem pars dicitur, veluti si decem patroni sint, & quatuor eligant Petrum, & tres Joannem, alii tres Antonium: Petrus licet non habeat majorem partem omnium patronorum, habet tamen majorem partem respectu Joannis, & Antonii, & ita instituendus est. Lambert. diff. lib. 2. p. 3. artic. 2. quæst. 4. & in hac præsentatione faciendâ est comparatio numeri ad numerum. Vivianus de jure patron. lib. 12. p. 2. cap. 12. non verò zeli ad zelum, ut in electionibus olim contingebat, ut probavi in cap. quia propter 2. de elect. & si præsentetur unus ex patronis, accedendo suæ præsentationi auget numerum, ut resolvit Rota apud Farinac. decis. 297. Hucusque tamen tradita non procedunt, si major pars eligat indignum; quia tunc est instituendus dignus præsentatus à minori parte, ut in electione canonicè faciendâ probavi in c. de elect. vel si statuto, aut consuetudine introductum sit, ut præsentatio non valeat nisi facta à duobus partibus ex patronis. Silva de qualitatibus præbendis, n. 63. Et quia saepe sapius testatores disponunt, ut ad capellaniam, seu beneficium præsentetur clericus à Rectore, & parochianis alicujus Ecclesie, quæri solet, an præferendus sit præsentatus à Rectore, & aliquibus parochianis, præsentato à majori parte parochianorum? Et certum est, eum præferendum esse, quia in eo casu duæ voces considerantur, quarum unam habet Rector, parochiani verò aliam, ut in casibus relatis in l. interdum 13. ff. de hered. instit. l. liber 59. §. Tertius, ff. eodem l. si pater 9. ff. de vulgari, l. si quis Atvio, ff. de usufruct. accresc. Quare si Rector accedat unus ex parochianis, ab eis præsentatus præfertur præsentato ab omnibus parochianis, ut saepe sapius decisum fuisse in sacra Rota refert Gonzalez ad regul. 8. Cancel. gloss. 3. num. 17. Gratianus discept. cap. 7. num. 14. Riccius in praxi. tit. de jure patron. decis. 210. n. 2. Farinac. p. 2. decis. 308. Silva de qualitat. Pralat. à n. 71. neque ad 74. CAPUT

## CAPUT IV.

Ex (a) eodem.

**P**raterea quia in tantum quorundam laicorum processit audacia, ut Episcoporum auctoritate neglecta, clericos instituunt in Ecclesiis, & removeant cum voluerint: possessionem quoque, atque ecclesiastica bona pro sua voluntate plerumque (b) distribuunt, & tam Ecclesias ipsas, quam homines eorum taleis, & exactionibus gravare presumunt: eos qui amodò ista presumpserint, anathemate decernimus esse feriendos; presbyter autem, sive clericus, qui Ecclesiam per laicos sine propria auctoritate Episcopi receperit; communione privetur, & si perstiterit, à ministerio ecclesiastico, & ordine deponatur.

NOTÆ.

(a) **E**odem. ] Concilio videlicet Lateran. celebrato sub Alexandro III. cap. 14. §. praterea; & etiam habetur textus hic in 1. collect. sub hoc tit. cap. 5.

(b) **Distribuunt.** ] Contra sacros canones relatos in capite Enlalius, 96. distinet. cap. laicis 24. 16. quæst. 7. capite 2. de rebus Eccles. ubi alios adduxi.

## COMMENTARIUM.

**E**X hoc canone sequens deducitur disputanda assertio: Patroni non possunt clericos instituere absque Episcopi auctoritate, alias tam ipsi, quam clerici ab eis Ecclesias recipientes excommunicantur. Probat eam textus in cap. 1. & 2. 63. dist. cap. ut per laicos, cap. Ecclesias 10. quæst. 7. cap. constitutus, cap. per laicos, & ferè per totam 16. quæst. 7. cap. quisquis 43. de elect. cap. in Lateranensi 31. de prob. cap. 3. de privil. cap. cum laici 10. cap. consuluit 15. cap. suggestum 20. capite relatum 21. cap. ult. hoc tit. Gregorius VII. in Concilio Romano, anni incerti, cap. 1. ibi: Ne aliquis clericus, vel monachus à laicis Ecclesias recipiat dono, vel pretio, nisi ab Episcopo. Et can. 10. Urbanus II. in Concilio Claramont. can. 13. ibi: Ut nullus ecclesiasticum aliquem honorem à manu laicorum accipiat. Cabilon. sub Carolo can. 42. ibi: Inventum est, quod multi arbitri sui meritate, & quod gravissimum est, ducti cupiditate, presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt; unde oportet, ut canonice regulà servatà, nullus absque consensu Episcopi cuiuslibet presbytero Ecclesiam det, quam si iuste adeptus fuerit, hanc non nisi gravi culpa sua, & coram Episcopo canonice severitate amittat. Concil. Mongunt. sub Carolo, can. 29. Tribur. can. 32. Wormat. can. 49. ibi: Statutum est, ut sine auctoritate, vel consensu Episcoporum presbyteri in quibuslibet Ecclesiis, nec constituantur, nec expellantur; & si clerici laicos probabilis vite & doctrine Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione rejiciant. Urbanus II. in Synodo Mellis. can. 8. ibi: Interdicimus, ut nullus in clericali ordine constitutus, nullusque monachus, Episcopatus, aut Abbatia, aut cuiuslibet ecclesiastica dignitatis investituram de manu laici suscipere audeat: quod si presumpserit, depositione multetur. Turon. sub Carolo can. 15. Interdicendum videtur clericis, sive laicis, ne quis cuiuslibet

presbytero presumat dare Ecclesiam sine licentia Episcopi sui. Wormat. can. 57. ibi: Nullus laicus presbyterum in Ecclesiam mittere, vel ejicere presumat, nisi per consensum Episcopi. Plura alia juris testimonia congesserunt Antonius August. tom. 1. lib. 6. tit. 11. & lib. 10. tit. 10. §. 11. & lib. 15. tit. 7. §. 30. Crespetius in summa, verbo Beneficia, pag. 74. & nos in cap. quisquis 43. de elect. Illustrant ultra congestos in præsentia à Barboza, & Garanna, Bosq. in not. ad Innoc. III. lib. 3. epist. 192. Robertus lib. 3. rer. judic. c. 1. Petrus Greg. lib. 4. var. tit. 7. cap. 2. Lælius Mancinus de triplici juris collat. cap. 45. Valens de benef. lib. 1. tit. 4. num. 5. Dartis eodem tractatu, cap. 6. Hallierius de sacris elect. sect. 8. capite 1. articulo. 2. Quintanadvennas lib. 4. eccles. num. 21. Vigel. in method. jur. can. fol. 283. Solorzanus tom. 2. libro 3. capite 3. num. 39.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam presentatus legitime à Patrono, sive velit Episcopus, admittitur ad beneficium, quia dum dignus est, tenetur Episcopus illum instituere in ipso, cap. significasti, cap. pastoralis, hoc tit. quod adeo verum est, ut si Episcopus alium instituat, institutio nulla sit ipso jure, capite decernimus 16. quæst. 7. cap. ex injunatione, hoc tit. Nec contrarium probatur in cap. illud, hoc tit. ubi dicitur, talem institutionem esse irritandam; quia ut docet Garcia de beneficiis 5. p. cap. 9. num. 238. quem sequitur Valens eod. tract. tit. 4. num. final. ea verba exponenda sunt, id est irrita est declaranda talis institutio: ergo in presentatione ritè facta à Patrono frustra Episcopi consensus desideratur; siquidem ejus contradictio parum, aut nihil operatur.

Quà difficultate ita fulcità non obstante vera est præfens decisio, pro cujus expositione sciendum est, patronum dici à patrocinio, auxilio, seu nus quis, favore, quem impendit, & ita patronus accipitur pro illo, qui alterius est benefactor, & auxiliator. Horatius lib. 2. epist. 7.

Pol. Memiserum, patrone, vocares.  
Terentius in Eunuch, actu 4. scen. 6.  
Te mihi Patronum cupio.

Unde olim Patricij, qui à plebeis ad patrocinium eligebantur, Patroni dicebantur, de quibus plura Petrus Gregorius lib. 4. synag. cap. ult. Rufinus lib. 1. antiquit. cap. 16. Revardus in l. 12. ff. de regul. jur. Inde manumissor Patronus dicitur passim in utroque jure: similiter appellatur & Advocatus in l. sancimus 6. C. advocat.

Tit 4

advers.

*divers. jud. Procurator Caesaris in l. final. C. de advocat. fisci. Desiderius Heraldus lib. 2. de auctor. rei judic. c. 5.* Sed de his patronis in presenti non agitur, quia patronus in hoc titulo accipitur pro eo, qui Ecclesiam construxit, dotavit, aut reedificavit, quibus modis acquiritur jus hoc patronatus, ut infra in cap. novit, dicemus.

4.  
De origi-  
ne huius  
juris pa-  
tronatus.

Secundo sciendum est, quod primis Ecclesiarum saeculis, quibus Ecclesiarum, basilicarumque primam constructae fuerunt, ea erat Episcopalis gradus auctoritas, eaque Episcoporum prudentia, ut in commune sapienter de rebus Ecclesiarum, & ordinationibus clericorum consulerent: ea totius populi Christiani pietas, & humilitas, ut nemo aliquid in Ecclesia vellet habere peculiare, nemo specialem ullam, nisi eminentioris virtutis prerogativam quaereret: ideoque nec patronorum Ecclesiarum, nec fundatorum ambitio privilegia extorquebat, nec ad Ecclesiarum constructionem, dotationemve privatis honoribus necesse erat excitare fideles; quare sub finem quinti saeculi Gelasius Pontifex relatus in cap. pie mentis. 16. quae. 7. excitatam jam in fundatoribus Ecclesiarum hac ambitione, monendum describit Julio Ecclesiam construente in haec verba: *Ipsam proculdubio praeter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii iuris habiturum.* Et in capite sequenti de alio fundatore ita cavet: *Ut nihil fundator ex hac basilica noverit vindicandum, nisi processionis aditum.* Quid tamen per processionis aditum ibi intelligatur, exponemus infra, in cap. novit. Et in Concilio Tolet. 4. celebrato anno 671. relato in cap. noverint 10. quae. 1. fundatoribus Ecclesiarum omnis potestas in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, denegatur. Et in Concilio Cabilon. 1. can. 14. habito anno 56. damnatur consuetudo illa, quae jam obrepere coeperat: *Quod oratoria per villas Potentum jam longo constructa tempore, & facultates ibidem collatas ipsi, quorum villa sunt, Episcopis contradicant, id est repugnent, quominus ab Episcopis regantur.* Et tandem concludunt Patres: *Ut in potestate sit Episcopi, & de ordinatione clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipsa oratoria, & officium divinum possit impleri, & sacra libamina consecrari.* Idem etiam cavetur in Concilio Aurel. 4. can. 7. Postea tamen cepit concedi primo Episcopis in aliena dioecesi Ecclesias edificantibus jus constituendi ibi presbyteros. Concil. Arausic. 1. can. 10. ibi: *Reservata aedificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cuius territorium est, vel si ordinati jam sunt, ipsos habere acquiescat.* Unde patet jus patronatus (quod melius gratiam dicemus) ecclesiasticum prius in Ecclesia receptum fuisse quam laicale; forsitan quia laici minus idonei judicabantur, ut de doctrina, & aptitudine presbyteri praesentandi judicarent. Postea jus hoc praesentationis laicis patronis concessum fuit primum in oratoriis privatis; cum enim illis concederetur, ut oratoria in agris propriis ad evitandam fatigationem familiae aedificarent, Concil. Agath. can. 21. laici, qui in suis territoriis haec oratoria construebant, cum ea sibi, & familiae tantum aedificarent, nec ibi populus conveniret, efflagitarent, ut presbyteros in eis divina officia celebraturos eligerent: quod concessit Imperator Justin. in novel. 123. cap. 18. quam Consule Basilio Juniore, 10. Kal. Martii, anno

541. edidit, & Petro Praefecto promulgandum misit, hujus juris patronatus priora fundamenta jaciens his verbis: *Si quis Oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea clericos ordinare, aut ipse, aut ejus haeres, si expensas ipsis clericis ministrant, & dignos denominant, denominatos ordinari: si vero indigni ab ipsis eliguntur, quos tanquam indignos prohibent sacra regule ordinari, tunc sanctissimus Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinari procuret.* Demum ad acciendam, seu puniendam aliorum Episcoporum negligentiam, ut ajunt PP. Concilii Tolet. 9. in capite decernimus 16. quae. 7. & fidelium pietatem excitandam, facultas illa praesentandi presbyteros ad quascunque Ecclesias, in quibus jus patronatus haberent, protrahita fuit. Cuius potestatis antiqua vestigia extant in cap. Abbatem. 18. quae. 2. & in dict. cap. decernimus, in cap. monasterium 16. q. 7. ubi Leo IV. ita statuit: *Monasterium, vel oratorium canonicè constructum à domino constructoris, eo invito non auferatur, licetque illi presbyteros, qui voluerit pro sacro officio ipsius dioecesis, cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare.* Et in Concilio Paris. 6. lib. 1. cap. 21. quod insertum legimus in Capitul. Caroli lib. 5. cap. 178. in haec verba: *De clericis vero laicorum, unde nonnulli eorum conqueri videntur, eo quod quidam Episcopi ad eorum preces nolint in Ecclesiis suis eos, cum utiles sint, ordinare, visum nobis fuit, ut in utrisque partibus pax, & concordia servetur, & cum charitate, & ratione miles, & idonei eligantur, ut si laicus idoneum, utilemque clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab Episcopo sine ceratione repellatur. Et si rejiciendus est, diligenter examinatio manifestum faciat. Quod etiam cavetur in Concilio Wormat. can. 49. 101: *Ut si laici clericos probabilis vite, & doctrinae Episcopis consecrandis, siusque Ecclesiis constituendis obtulerint, nulla qualibet occasione rejiciant.**

Sequentibus vero Ecclesiarum saeculis indubitatum fuit jus hoc patronatus laicorum, nempe ut fundatores Ecclesiarum, eorumque haereses presbyteros Episcopo in Ecclesia à se, vel à parentibus suis fundata instituendos praesentarent, ut supponitur in cap. 1. 2. & 3. hoc tit. quae praesentatio plebanaque commendatio appellatur in Concilio Arelat. sub Carolo, can. 5. ibi: *Ut laici omnino à presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesiae, quia propter cupiditatem plerumque à laicis talibus presbyteris Ecclesiae dantur, qui ad peragendum sacerdotale officium sunt indigni.* Mogunt. sub Carolo can. 30. ibi: *Ut laici omnino munera injusta non exigant à presbyteris propter commendationem Ecclesiae cuiquam presbytero.* Prosequuntur alia de origine, & progressu hujus juris patronatus Filescus in cap. cum vos 4. §. 2. de offic. Ordin. Hallier. de sacris elect. d. sect. 8. c. 1. art. 2. Bosquetus in notis ad Innoc. lib. 3. epist. 192. Illud tamen notandum est, patronum excommunicatum, etiam laicum, non posse presbyterum praesentare, & institutionem ab Episcopo ob talem praesentationem factam nullam esse. ut ex cap. venerabilem 34. §. unde, probat Illustriss. Ramos pro Episc. Lusit. propos. 3. §. 2. num. 80.

Ex quibus jam apparet vera ratio praesentationis; nam cum ex gratia tantum concessum sit patronis laicis jus commendandi, seu praesentandi presbyteros in Ecclesiis, in quibus obtinent patronatus, ut ab Episcopis, si digni fuerint, instituantur; nec facile laici possunt idoneitatem

neitatem ipsorum presbyterorum agnoscere, ideo non solum prohibitum est patronis propria auctoritate presbyteros instituere, verum etiam contra fecerint, tam ipsi, quam clerici ab eis Ecclesias accipientes, excommunicatione feriuntur: cujus sententia conscientia adacti nonnulli patroni Ecclesias Episcopis restituerunt, de his donationibus conferentes, quarum exempla referunt Matthæus Paris. in *Willelm. II. Ambrosius à Morales in vita S. Eulogii, c. 8.* Accedit, nam nemo sine institutione canonica potest beneficium ecclesiasticum obtinere *c. 1. de R. I. lib. 6.* sed ea institutio ab Episcopo datur: igitur absque ejus auctoritate non potest presentatus à patrono beneficium ecclesiasticum obtinere.

Faciunt quæ de Ecclesiis non recipiendis à laicis congesti in *cap. quisquis 43. de elect.* Rectè ergo Alex. III. in presenti statuit, patronum non posse propria auctoritate Ecclesiam concedere absque Episcopi institutione. Et licet Episcopus teneatur presentatum à patrono, si dignus est, necessario instituere, ut dixi supra pro dubitandi ratione; non tamen inde inferitur, necessarium non esse Episcopi institutionem; siquidem etiam presentatus idoneus sit, adhuc post presentationem eget canonica institutione ab Episcopo obtinenda.

7. Exponitur Innocentii 3. epistola.  
III. lib. 3. regest. 15. epist. 192. ubi Mathildi Comitissa Flandrensis in hæc verba refertur: *Et si precibus tuis favorem prestare secundum Deum bene volumus intendamus, eas tamen, quas repellit justitia, nos admittere non debemus, cum ejus locum, qui justus est, & justitiam diligit, licet immeriti, teneamus in terris.* Oblata quidem nobis ex tua parte petitio continebat, quod cum in quodam loco tui dotarii, Nepa nomine, ad honorem Dei Ecclesiam fundare proponas, & de bonis tuis sic plena manu dotare, quod Canonici, qui Deo ibidem pro tempore serviant, necessaria vitæ non desint, jus patronatus, & præbendarum collationem in ea tibi, ac successoribus tuis reservari petbas. Quorum primum admittimus: secundum verò non duximus concedendum, cum non expediat saluti concedi. Quia cum ex devotione te asseras assumpsisse propositum in loco predicto Ecclesiam construendi, acquires eo plus animæ, quo minus in ea corpori reservabis. Unde devotionem tuam exhortamur in Domino, quatenus illud perficere studeas, quod ad tuam salutem. & ecclesiasticam pertinere dignoscitur honestatem. Datum Lateran. II. Nonas Januarii, Pont. N. anno quintodecimo. Quibus in verbis vel agit Innocentius de collatione absoluta præbendarum faciendâ per patronum propriâ auctoritate, vel de presentatione nuda per patronum faciendâ: & si de illa, quare decisionem suam non probat Pontifex presentati canone, & similibus, si agit de presentatione per patronum faciendâ, injustè illi, videlicet Comitissæ, & ejus successoribus prohibetur

in ea Ecclesia se constructa, juxta hucusque tradita; præcipuè cum in *cap. final. de concess. præbend. c. dilecto. de restibus*, eidem Comitissæ concedatur presentatio præbendarum in aliis Ecclesiis, in quibus jus obtinet patronatus; & in eadem specie præbendarum Regi Angliæ presentationem competere supponitur in *cap. cum inter. de consuet.* igitur non rectè talis presentatio Comitissæ, & ejus successoribus legitimis patronis ab Innocentio denegatur. Et si collatio absoluta Comitissæ prohiberetur, superflua est ea decisio, siquidem jam jure communi ex hoc textu, & aliis supra expensis generaliter patronis erat interdicta. Bosquetus in notis ad ipsam epistolam utrumque admittit, ita ut Innocentius ibi prohibeat collationem præbendarum, ut in presenti ab Alexandro prohibetur, id est concessionem propriâ auctoritate irrequisito Episcopo, ne videlicet presentati à Comitissâ virtute tantum ipsius electionis admitterentur ad præbendas. Accipit etiam Innocentium de presentatione nuda, & ait, eam denegari Mathildi, quia cum esset conventualis Ecclesia, quæ fundabatur, propter honestatem electio ad ipsos Canonicos spectare debebat, juxta textum in *cap. novit 25. hoc tit.* ubi plura adduxit Barbosa. Sed licet verum sit, in Ecclesiis conventualibus, & collegiatis non competere patrono jus presentandi superiorem Prælatum, *cap. Massana, de elect.* nisi specialiter in ipsâ fundatione id cautum sit, ut in catibus relatis ab Alteserra de Ducibus, & Comitibus, *cap. 9.* tamen patronum posse in ipsis Ecclesiis ad præbendas presentare clericos idoneos, constat ex dicto capite cum inter. de consuet. *cap. dilecto. de præb.* Quare dicendum est, in eo textu non prohiberi Comitissæ nudam presentationem ad præbendas, sed collationem ipsarum in sua propria, & stricta significatione, irrequisito videlicet Episcopo; nam cum per concessionem præbendarum nulla cura animarum Canonicis competat, ut in aliis beneficiis ecclesiasticis, de quibus in hoc textu, existimabam Comitissam posse eligere & propriâ auctoritate in ipsis præbendis clericos instituere. Quæ interpretatio facile suadet ex illis verbis: *Secundum verò non duximus concedendum, cum tue non expediat saluti.* Ex quibus deducitur, ex tali collatione ipsam peccatum incurtere, quia videlicet propriâ auctoritate, irrequisito Episcopo intendebat præbendas ipsas conferre, contra presentem textum, & hucusque tradita. Et licet jus patronatus spectet ad supremos Monarchas, tantum ipsi possunt presentare, non verò instituire in Ecclesiis vacantibus, ut doctè probant Cochier in tract. de primariis precibus, in proem. pag. 3. Vivianus in praxi juris patron. libro II. cap. 12. Solorzanus libro 3. de jure Ind. tom. 2. num. 40.

## CAPUT V.

Idem (a) Eborac, Archiep.

Quod autem contulis, si clericus idoneus ad vacantem Ecclesiam presentatus non fuerit ab Episcopo dicecesano admissus, & postmodum alius idoneus presentatus, & institutus ab Episcopo (b) possessionem tenuerit corporalem, an priore clerico Eccle-

Ecclesiam petente debebat posterior removeri, vel posterior priori præferri: dubium non est, quin casu isto melior sit conditio possidentis; quoniam antequam præsentatio diocesanum Episcopum approbetur, ratum (c) non est, quod à patrono fuerit inchoatum. De cætero prudentiæ tuæ litteris præsentibus intimamus, quod si laici clericis, vel collegiis de concessionibus, vel donationibus instrumenta conceperunt in hæc verba, vel similia: Concessi, vel dedi Ecclesiam, & præsentem chartam firmavi: si consensus Episcopi non (d) accesserit, nihil agi videtur; à laico enim Ecclesia donari non potest. Patronatum autem de auctoritate, & assensu Episcopi certum est à laico in eadem de jure conferri.

## NOTÆ.

(a) **E**<sup>Borac.</sup> ] Ita etiam legitur post Concil. Lateran. p. 3. cap. 15. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 7. ubi additur pars capituli relatum, ut cognoscamus in præsentem referri secundam partem textus in cap. relatum, de cleric. non resid.

(b) **Possessionem teneret.** ] Id est canonicam institutionem, ut exponit Covar. lib. 3. cap. 16. & probavi in cap. ex frequentibus, de instr.

(c) **Ratum non est.** ] Juxta tradita superiori commentario.

(d) **Non accesserit.** ] Si autem accesserit, valida est donatio, cap. illud, cap. si quis, hoc tit. probavi in cap. pastoralis, de donat.

## COMMENTARIUM.

**I.** **Conclusio traditur, & probatur.** **E**X hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Patronus laicus potest variare, & duos successivè præsentare. Probant eam textus in cap. cum autem 24. cap. pastoralis, cap. final. hoc tit. Clement. plures, §. final. eod. tit. Illustrant ultra congestos in præsentem à Barbosa, idem Barbosa de potest. Episcop. 3. p. alleg. 72. num. 151. & lib. 3. juris eccles. cap. 12. Vivianus de jure patron. lib. 10. cap. 1. cum sequent. Valens de benef. lib. 1. tit. 4. num. 15. Escobar de puritate sanguinis, quest. 7. num. 6. Balboa in capite cum Bertholdus, numero 58. de judic. Joann. Crocus in repetit. ad hunc textum. Mendo de jure academ. libro 1. quest. 30.

**2.** **Traditur dubitatio.** Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione sic insurgo: Per præsentationem legitime factam à patrono acquiritur jus præsentato ad ipsum beneficium, ita ut statim possit petere institutionem ab Episcopo, cap. pastoralis, hoc tit. ubi docent Glossa, & Abbas. Ripa in rubric. de judic. num. 71. Gomez in regul. Cancel. tit. de non tollend. jure quest. 1. Unde clausulam illam, Dummodo alteri jus quaesitum non sit; quæ apponi solet in collatione beneficiorum, comprehendere habentem tantum præsentationem ad illud beneficium, docuerunt Gomez ubi supra, Rebuffus in eadem regula, gloss. 6. & facit textus in cap. super eo, de offic. deleg. sed jus semel uni quaesitum, sine ejus voluntate auferri non valet, l. 1. ff. si quid in fraud. patron. l. in diem 9. §. non autem, ff. de aqua pluvia: ergo Patronus postquam semel præsentationem ad beneficium fecit, non potest amplius variare. Augetur hæc difficultas primò ex eo, nam cui competit electio, semel dumtaxat eligere valet, l. apud 20. ff. de opton. legat. l. servi electi. §. l. hujusmodi 84. §. Stichum 9. de legat. 1. l. statuliberum 11. in fine, l. legatorum 33. in fine, ff. de leg. 2. l. 8. Cod. de inoffic. l. 17. Cod. de testibus, l. 4. §. 2. ff. de lege commiss. igitur nec patronus mutare præsentationem potest. Augetur secundò

hæc difficultas, nam si patrono laico variatio absolute permitteretur, sæpe sapius illi variare liceret: sed non potest nisi semel variare, ut arguente textus in l. boves, §. hoc sermone, ff. de 17. S. docent Cevallos commun. contra commun. quest. 265. per totam, Barbosa d. alleg. 72. num. 151. Escobar de puritate dist. quest. 7. num. 62. Ergo quia patronis laicis absolute variare non licet.

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præsentis assertio, pro cuius expositione sciendum est, jus patronatus duplex esse; aliud ecclesiasticum, aliud seculare, seu laicum: jus patronatus ecclesiasticum dicitur, non quia clericis competit, ut vult Wamensis rom. 2. consil. 470. exillians naturam jus patronatus ex qualitate, & conditione possidentis repetendam esse, ita ut laicale censetur, si laicus illud obtineat: sed dicitur illud, quod competit Ecclesie, vel ratione Ecclesie alicui, sive clerico, sive laico, est originem habuerit ex patrimonio laici; nam sufficit postea quovis modo, sive testamento, aut donatione, translatum esse in Ecclesiam, Capitulum, seu Collegium Ecclesiasticum canonicorum regularium, aut secularium, vel alicui dignitati, aut beneficio ecclesiastico esse annexum, cap. unic. §. verum, hoc tit. in 6. docent Covar. practic. cap. 36. num. 5. Valens de benef. lib. 1. tit. 4. Valascus 2. p. consil. 163. Garcia part. 5. de benef. cap. 1. ex num. 553. Vivianus in praxi, p. 1. lib. 1. cap. 3. ex num. 3. Barbosa lib. 3. jur. eccles. cap. 12. ex num. 6. Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 67. quia penes communitatem ecclesiasticam non potest residere jus patronatus, quod non sit ecclesiasticum, ut probat Salgado de protecl. Regia, 3. p. Unde quoties jus patronatus competit ratione dignitatis, officii ecclesiastici, vel administrationis bonorum Ecclesie, est laici illud obineant, ecclesiasticum dicitur. Jus verò patronatus laicale appellatur, quod alicui, sive clerico, sive laico competit ratione proprii patrimonii, non beneficii, vel Ecclesie. Covarr. dist. cap. 36. num. 2. Flaminus de resig. benef. lib. 2. quest. 4. num. 40. nec interest, quod patrimonium illud acquiritur sit intuitu Ecclesie, quia cum ex generali consuetudine clerici de rebus bonis testari possint, & in illis ab instantæo succedat sicut in patrimonialibus, videtur clericus dotans, vel extraneus Ecclesiam sibi, suisque hæredibus, vel consanguineis jus patronatus ratione patrimonii reservare, & ita laicale judicatur. Circa jus patronatus competitens hospitalibus, collegiis, & similibus locis distinguendum est juxta tradita in cap. 4. de relig. dom. ita ut si loca ipsa auctoritate Episcopi constructa, & erecta sint, ita ut loca religiosa, & pia dicantur, jus patronatus ecclesiasticum sit; si verò absque Episcopi licentia erecta sint, jus patronatus

natus laicale dicatur. Plures alios casus inde resolvers docent Lambertinus de *jure patron.* 1. *part. lib. 1. artic. 5. quest. 1.* Vivianus *cod. tractat. lib. 1. cap. 3.* Gregorius Lopez & Humada in *l. 13. tit. 5. part. 1.* Vazquez in *opusc. moral. tit. de benefic. cap. 2. §. 1.* Felicianus Vega in *cap. quant. num. 27. de judiciis.* Salgado de *protecl. Regia 3. part. cap. 9. ex num. 10.* Solorzano de *jure Indiar. tom. 2. libro 3. capite 3. num. 3.*

4. *Quibus patronus licet variare.*  
 Secundo sciendum est, quod inter alias differentias, quæ versantur inter jus patronatus ecclesiasticum, & sæculare, ex quibus quadraginta octo refert Vivianus *dict. lib. 1. cap. 3.* illa præcipui versantur, quod patronus laicus potest intra quadrimestre ante Episcopi institutionem variare, & alium simul, seu successivè accumulando presentare; patronus autem ecclesiasticus id facere nequit. Cujus differentia rationes varias assignarunt Doctores supra laudati. Aliqui docuerunt, quod presentatio patroni ecclesiastici habet vim electionis, in qua non cadit variatio, quia statim electio acquiritur jus in re, sequutà electionis acceptatione, *cap. publicato.* ubi glossa, *cap. quod sicut, de elect.* quod secus procedit in presentatione facta à laico, quia per eam nullum acquiritur jus. Vivianus in *dict. cap. 1. num. 5. & 2. p. lib. 8. cap. 9.* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 3. dub. 66.* Valenzuela *consil. 103. n. 4.* Narbona in *l. 20. tit. 1. lib. 4. Recopil. glossa 22. n. 32.* Barbosa *lib. 3. juris eccl. c. 12. & alleg. 52. n. 174.* Sed hæc ratio facile convincitur: tum quia nullo juris loco cavetur, presentationem patroni ecclesiastici vicem obtinere electionis: tum etiam, quia etsi electionis vires haberet, non ideo jus in re produceret, sed ad rem tantum, ut probat Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 57. num. 197.* Quare eà ratione omisâ, verior, ni fallor, ea est, quod cum patronum ecclesiasticum minus deceat instabilitas, seu variatio, *Clement. unic. de renunc. & aliunde plus temporis ei, quam laico concedatur, ut maturè deliberet, quem eligat; & clerici facilius, meliusque possint noscere, ac invenire clericos idoneos, quam laici, propter assiduum conversationem cum eis: ideo illi variare nequeunt, laici autem variare valent.* Docet Lambertinus *ubi supra dict. art. 1.* Laici igitur possunt variare, aut uno contextu plures nominando, ut Episcopus ex eis, quem malit, instituat. *Clement. plures, §. final. hoc tit.* aut diversis temporibus varios presentando, *cap. cum autem 24. c. pastoralis 29. hoc titul.* docet Lara *de capel. 2. part. cap. 8. num. 9.* ubi docet, Collegio, seu Universitati non licere variare, quod etiam tenuerunt Cevallos *commun. quest. 65. & 69.* Gutierrez *de jur. 3. part. cap. 13. per tot.* Mendo *de jure academ. lib. 1. quest. 30.*

5. *Traditur ratio de cõdendi.*  
 Ratio presentis assertionis ex eo provenit; nam cum ante institutionem ab Episcopo factam ratum non sit quod à patrono fuit inchoatum, ideo ante ipsam institutionem pendente tempore concessio ad presentandum, potest ipse variare, illis adstantibus conditionibus, videlicet ut prima presentatio firma meneat, ei secundam accumulando, non verò abrogando. Garcia *de benefic. 5. part. cap. 9. num. 211.* Escobar *dict. quest. 7. num. 55.* & tunc præfertur primò presentatus si dignus est, secundus verò indignus, etiam defi-

deratur, ut primò presentatus nullum aliud jus extra presentationem acquisierit; nam si lis mota sit, & ita per contestationem jus illam prosequendi illi quæsitum sit, non potest patronus variare in ejus præjudicium, ut resolvunt Covar. *prætic. cap. 36. num. 7.* Barbosa *dict. alleg. 72. num. 162.* Escobar *dict. quest. 7. num. 60.* qui alia prosequuntur de hujusmodi variatione.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa; nam licet certa, & generalis regula sit, quod in præjudicium juris quæsitum tertio variare, aut quicquam statui non possit, ea tamen accipienda est in jure perfectè quæsitum, & dum aliud à jure statutum non est, quia tunc censetur facta variatio juris auctoritate; & in prima presentatione eam inesse conditionem, nisi aliud postea visum fuerit, secundum permissionem iterum presentandi. Quæ conditio cum semper tacitè inlit ex secunda presentatione, nullum præjudicium primo presentato fit, argumento legis *injuriarum 13. §. 1. ff. de injuriis,* pluribus relatis illustrat Barbosa *axiom. 135. n. 8.* Nec obstat primum difficultatis augmentum deductum ex *dict. l. servi electione,* cum similibus: nam ratio, quare legatà optione, seu electione, semel dumtaxat legatarius eligere potest, redditur in *dict. l. apud 20.* in illis verbis: *Quia omne jus legati primà testatione, quâ sumere se dixisset, consumpsit.* Quoniam res continuo ejus sit, simul ac dixerit, eam sumere: quam illustrat Pinellus *lib. 2. select. cap. 16.* Arias à Mesa *lib. 2. var. cap. 28.* quæ ratio cum cesset in presentatione facta à patrono laico, quia nullum jus perfectè illi quæsitum est, rectè admittitur variatio. Accedit nam in ultimis voluntatibus hæredi, aut legatario variare nonnunquam licet, *dict. l. servi §.* Nec contrarium probatur in *l. Divus 22. §. licet, de usu & habit.* quia in ea specie habitatio totius domus fuerat legatà, quare rectè poterat legatarius etiam post electionem unius partis ad aliam partem se transferre, eamque habitare; in contractibus verò ita demum variare licet, si res integra sit, *l. si certarum 17. §. final. ff. de testam. milit.* Nec contrarium probatur in *l. 66. ff. de procurat.* ubi post electionem non licet variare, quia textus ille procedit lite jam contestata; tunc enim cum non sit res integra, nec in contractibus variare licet. Tandem non obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis; nam licet patrono laico variare permittatur, non tamen illi hoc permittitur amplius quam semel, ut tollatur confusio, seu processus in infinitum, quæ provenit ex actu multiplicitate, & reiteratione, *l. qui bona 13. §. ultim. ff. de damno infect. l. fideicommissa 11. §. si quis 8. ff. de legat. 3.* Nec contrarium probatur in *dict. Clement. plures, §. final.* quia textus ille procedit, quando plures simul, non autem successivè presentantur; quod & patrono ecclesiastico licere, docet Rochus à Cutte *verbo Honorificum, quest. 9. n. 34.* veluti si alternativam presentationem faciat, aut plures simul presentet, ut ex eis Episcopus eligat magis idoneum; aut si idoneos omnes judicaverit, quem maluerit, non autem in eo textu docetur, posse patronum laicum sæpe sæpius variare, ut contra Spinum probat Covar. *dict. cap. 36. & post eum Escobar. de puritate dict. quest. 7. num. 63.*

6. *Difficultatur dubi. sandi variatio.*

## CAPUT VI.

Idem (a) Exon. Episcopo.

Quia clerici quidam vestra jurisdictionis (b) advocatias Ecclesiarum, sicut accepimus, comparant, vel quocunque modo possint, acquirunt, ut postmodum (c) filii, vel nepotes ad eandem presententur Ecclesiis; nos tamen pravam consuetudinem penitus eradicare volentes, nihilominus presentium vobis auctoritate nostra, ut ne id attentare presumant, universis Ecclesiis jurisdictionis vestrae ulterius actus inhibere curetis: & si presbyteri Ecclesiarum vestrarum advocaciones acquisierint, eos advocacionibus taliter acquisitis ap. rem. auctoritate Ap. (d) spoliatis.

## NOTAE.

1. (a) *Exon.* ] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 8.* post Concil. autem Later. *part. 15. cap. 14.* habetur *Herefordiensis*, & *Abbati de Forde*; quae inscriptio in hac sexta collectione est capituli sequentis; ubi eam exponemus. De Exoniensi Angliae diocesi nonnulla adduxi in *cap. 6. de filiis presbyt.*

2. (d) *Advocatas.* ] Id est juspatronatus; quid tamen advocatia in sacris canonibus significet, & de ejus origine, & usu in Ecclesia agemus infra in *cap. praeterca*, ubi textum hunc exponemus.

3. (c) *Filii, vel nepotes.* ] Certum est, patronum posse filium proprium, seu nepotem idoneum ad beneficium presentare, *cap. consuluit*, ubi Glossa *verbo Auctoritate*, *hoc tit.* Lambertinus *de jurepatron. lib. 2. part. 1. quest. 8. artic. 12.* Flamin. *de resign. lib. 9. quest. 17. num. 122.* Velascus *de privil. pauper. 2. part. quest. 62. ex num. 25.* quippe suffragium patris filius prodesse solet, *l. illud, ff. quod cuiusque univers.* Et quia hoc sacris canonibus non reperitur prohibitum, concessum creditur, argumento textus in *cap. cum apud Sedem. de despons.* quamvis patronus seipsum presentare nequeat, *cap. per nostras 26. hoc tit.* quia tunc non datur distinctio inter presentantem, & presentatum, *cap. final. de instit.* quando vero pater filium presentat, adest diversitas personarum, cum revera distincta sint, ut probat Riccius in *praxi fori. decis. 195.* & licet fictione juris pro una accipiatur quoad acquisitionem virtute patriae potestatis, *§. versa vice, Instit. de inutilibus;*

& haec potestas non attendatur in spiritualibus, *cap. final. de iudicis, lib. 6.* sicut nec alias in his, quae sunt publici juris, *l. 1. ff. de auctor. tut. l. nam quod 14. ff. ad Trebel.* quare quoad fructus beneficiorum filium pro patrefamilias haberi, docuit Gratianus *tom. 3. discept. cap. 576. num. 6.* ideo patronus potest filium proprium idoneum ad beneficium presentare. Nec contrarium probatur in presenti textu; nam procedit quando pater comparavit, vel alio modo acquisivit juspatronatus primo, & principaliter, ut filios vel nepotes suos ad ipsas Ecclesias presentaret solo sanguinis amore ductus, & nulla idoneitatis habitata ratione; quod repugnat sacris canonibus relatis in *cap. grave 29. de praebend. cap. unic. vers. circa. ut eccles. benef. cap. unum. 10. de etate;* & *qualit.* & ita intenderet successorem admittere in beneficiis ecclesiasticis, contra ea quae adduxi in *cap. 1. de praebend.* ideo ab Alexandro in presenti improbatum similis abusus clericorum Exoniensis diocesis, ut docuerunt in presenti Butrius numero 6. Cardinalis, Abbas, & Rochus à Curte *de jurepatronatus, verbo Honorificum quest. 4.*

(d) *Spoliatis.* ] Nec tale juspatronatus restitutum est venditori, ut probat Lothenus *de re benef. libro 2. capite 9. num. 67.* ut ita hac penam efficiatur etiam venditor, ut in *capite Salvatoris. questione 3. capite consulere. de simon.* nam quando quis privatur aliquo lucro contemplatione alterius, applicari debet illi, cuius contemplatione privatio fit. Glossa in *capite si diligenti, verbo Perdant, de foro comper.*

## CAPUT VII.

Idem H. (a) Eforden. Episcopo, &amp; Abbati de For.

EX litteris I. (b) Salesberien. Episcopi accepimus, quod defuncta (c) persona Ecclesiae de Lauton, G. miles, qui villam, in qua Ecclesia (d) sita est, à monasterio de (e) Winton ad firmam tenebat, ad eandem vacantem Willelmum de Leicestra clericum praedicto Episcopo presentavit. Post aliquantum temporis Abbatissa praedicti monasterii ad Episcopum veniens, ei Willelmum de Norale ad praescriptam Ecclesiam presentavit. Episcopo autem nolente personam presentatam ab ea recipere, tandem ad venerabilem fratrem nostrum Cant. Archiepiscopum Abbatissa accessit, & apud eum gravem querimoniam de Episcopo deposuit. Archiepiscopus, quia libi visum erat, quod factum militis super presentatione praefata nullius esset momenti, praedicto

prædicto Episcopo in virtute obedientiæ injunxit, quod personam illam reciperet, & in possessionem induceret, quam Abbatissa decreverat sibi præsentandam. *Et infra*: Restitutione autem factâ causam audiatis, ita quidem quod si vobis constiterit, quod præfatio militi præscripta villa fuerit, non excepto jure patronatus (f) ad firmam concessa, vel antequam de jure patronatus inter Abbatissam, & militem controversia esset suborta, præfatus W. de Leicestria in præscripta Ecclesia per institutionem Episcopi ad præsentationem militis fuisset institutus, ei, dummodo alias idoneus sit, Ecclesiam ipsam adjudicetis, ita quod si Abbatissa obtineret adversus militem, illi de temporalibus debeat respondere.

## NOTÆ.

## COMMENTARIUM.

(a) *Forde.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* licet aliter legatur post Concilium Lateran. p. 15. cap. 5. De Efordienfi diocesi Angliæ jam egi in cap. 2. de temporib. ordin. Monasterium Fordæ est Angliæ in Comitatu Boniensis, de quo in indice sacrarum ædium Angliæ ita legitur: *Forda in Comitatu Devonie, titulo sancte Mariæ fundatrix Adolica filia Baldvini: est Ordinis Cisterciensis, anno 1135. capite 9. numero 5.*

(b) *I. Salesberien.*] Joannes videlicet Salisbariensis, de quo aliqua adduxi in capite 28. de appel.

(c) *Persona.*] Id est presbytero, seu paroco, qui persona in sacris canonibus dici solet, ut probavi in cap. 8. & 12. de rescript.

(d) *Ecclesia sita.*] Quam conjunctam cum villa retinebat; nam Ecclesiam ipsam per se laici ad firmam tenere non possunt, cap. 6. ne cleric. vel mon. ubi dicimus.

(e) *Monasterio de Winton.*] Quod est monasterium monialium Ordinis D. Benedicti in pago Wintoniæ, proxime Satisberiam urbem, quod fundavit Ergerus Rex Angliæ, & in eo Editha ejus filia habitum suscepit, ut refert Virgilius lib. 6. histor. Angliæ, fol. 117.

(f) *Firmam.*] Firma quid significet, exposui in cap. 2. de locato.

Cum jus patronatus antecederet sit spirituale, seu spiritualibus annexum, ut probavi in cap. quanto 3. de judic. non potest per se, ut in capite antecederet docetur; cum universitate tamen bonorum, titulo venditionis, donationis, seu simili, rectè in alium transferri potest ex præfati textu, & cap. cum sicut, hoc tit. l. 15. tit. 5. p. 5. & tunc præfatio competit illi penes quem residet jus patronatus, ut pluribus exemplis illustrat Salgado lib. 3. labyrinth. cap. 5. Covar. lib. 1. var. cap. 13. Coftain cap. si pater, 2. part. verbo Trebellianica, num. 7. Lambertinus de jure patron. 2. p. lib. 1. quest. 5. artic. 11. Hermosilla in l. 15. tit. 5. part. 5. gloss. 4. & 5. Riccius 5. part. collect. 1731. Burgos de Paz consil. 31. à num. 14. Noalis de transmissione. casu 607. Molina de primog. lib. 2. cap. 24. Barbosa lib. 3. jur. eccles. cap. 12. num. 225. Olea de cess. jur. ritual. 3. quest. 8. num. 27. ideo cum villa in præfati specie fuisset titulo locationis ad longum tempus in militem translata, ex quo titulo dominium utile in conductorem transfertur, ut probavi in cap. ad aures, de rebus Eccles. ideo potuit miles tanquam verus patronus præfentare personam idoneam ad Ecclesiam, quæ erat in ipsa villa; quia jus patronatus ad ipsum tanquam ad verum Dominum spectabat, ut jam notavi in cap. cum Bertholdus, de re judic.

## CAPUT VIII.

Idem H. (a) *Winton. Episcopo.*

Quamvis simus *Et infra*: Illud prætereundum non duximus, super quo te intelleximus dubitare, quod si aliquis laicus Episcopo inconsulto Ecclesiam non (b) vacantem concedit alicui religioso domui, & postea cum vacaverit, ad præsentationem ejusdem laici aliquis clericus ibi fuerit per diocesana Episcopum institutus; prior concessio secundam institutionem, quominus habeatur rata, & firma, non potest, nec debet aliquatenus impedire. Cum illa concessio de jure nullius possit esse momenti: tum quia de re non vacante facta est: tum quia laicus sine auctoritate Episcopi nemini potest Ecclesias dare, licet religioso loco patronatus jus conferendi liberam habeat facultatem. Si verò jus patronatus Ecclesiâ vacante religioso loco contulerit, & aliquis sine præfatione fratrum ejusdem loci fuerit in ipsa Ecclesia institutus, ejus institutio secundum rigorem juris est (c) irritanda.

## NOTÆ.

(a) *Winton.*] In prima collectione, *sub hoc tit. r. 10.* repetitur textus hic prout in præfati transcribitur; & alias ejus partes dedi in cap. ceterum. de rescript.

(b) *Non vacantem.*] Eo animo, ut vivente ejus Rectore ad locum religiosum pertineret, alias si ea mente, ut defuncto Rectore ad ipsos religiosos Ecclesia spectaret quoad proprietatem, valeret cond. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

cessio de Episcopi licentia facta, & consultationibus, de donat. ut jam exposui in c. 2. de concess. prebend. Regulariter autem patronus non potest ad beneficium nondum vacans aliquem præfentare, cap. final. de concess. prebend. pluribus relatis probat Solorzanus de jure Indiar. lib. 3. cap. 15. n. 56.

(c) *Irritanda.*] Quia durante tempore ad præfentandum patrono concessio, non potest Episcopus aliquem propriâ auctoritate in Ecclesia instituire, ut dicimus infra, in cap. ...

Uuu

COM-

## COMMENTARIUM.

2. **EX** hoc textu communiter deducitur, patronum non posse jus patronatus quod obtinet, propriâ auctoritate in laicos transferre; posse verò loco religioso etiam inconsulto Episcopo, illud donare; quod etiam probatur in cap. significavit 41. de test. c. unic. hoc tit. in 6. & docent Rochus à Curte de jure patron. verbo Ipse, vel is à quo, quest. 13. num. 32. Lambertinus eodem tractatu, 2. p. lib. 1. artic. 10. quest. 1. princip. num. 4. Barbosa lib. 3. juris eccles. cap. 12. num. 244. Garaña in cap. consultationibus, num. 5. de donat. Abbas Panormit. quest. 5. per tot. Valensis de benef. lib. 1. tit. 4. num. 2. qui varias hujus discriminis rationes assignavit; quibus ommissis illa videtur verior ratio, quod quando fit donatio juris patronatus alteri laico, debet Episcopus prius, agnoscere, an expediat Ecclesie patronum mutare, & an fraus aliqua simoniaca intercedat: quod non ita evenit in loco religioso, si quidem semper expediat Ecclesie illum potius, quam laicum patronum habere. Nec obstat textus in cap. cura 11. hoc tit. in illis verbis: *Cum laici non possint in alios, nisi jus quod habent, transferre.* Ex quibus deduci videtur, posse patronum jus quod habet, in alium transferre indistinctè, sive laicum, sive religiosum; nam ea verba non sunt accipienda de donatione juris patronatus, sed de præsentatione ad Ecclesiam vacantem per patronum facta, ut in principio textus; unde ibi docetur, non posse laicum absque Episcopi auctoritate beneficium conferre virtute juris patronatus, quia tantum jus quod habet, videlicet, quod ex præsentatione acquiritur, dare potest; non verò ea verba sunt accipienda de donatione juris patronatus, ut ibi latius dicemus.
3. Contrarium etiam, immò nec in religiosum

locum posse laicum patronum jus illud transferre, probari videtur ex cap. nullus, hoc tit. ubi indistinctè statuitur, non posse laicum Ecclesie decimas, vel quodlibet aliud jus ecclesiasticum in locum religiosum transferre absque Episcopi licentia; quod etiam expressè docetur in cap. 28. hoc tit. in 1. collect. ubi ita ait Alex III. *Super eo verò, quod clerici, & religiosa, sicut asseris, persone, literarum intuitu, quas habent à laicis, sibi jus in Ecclesia vindicant, hoc tibi volumus innotescere, quod ubi auctoritas Episcopi non accesserit, per literas illas non possunt Ecclesias obtinere.* Ergo quia non laicis jus patronatus, quod habent, Religiosis locis donare. Sed omnis variis Interpretum solutionibus, credo in his juribus nullo modo agi de donatione juris patronatus, sed potius de ipsa Ecclesia quoad proprietatem, seu quoad jus exigendi decimas virtute talis concessionis; passim enim in hoc titulo Ecclesia accipitur pro ipso beneficio, in quo jus præsentandi patronus habet: unde dum Alex. III. in illis juribus absolute prohibet, ne Ecclesiam, vel aliquid juris ecclesiastici patroni in religiosos transferant inconsulto Episcopo, intendit ita utere, ut si patronus Ecclesia vacante voluerit loco religioso eam donare, ut ita jus decimarum, & aliorum fructuum ad ipsum locum religiosum spectet, ut spectaret ad presbyterum presentatum, & institutum ab Episcopo, id facere non potest inconsulto ipso Episcopo; quia tunc non donat jus patronatus, sed ipsam Ecclesiam, in qua habet jus patronatus: nec proprie jus patronatus dici valet quid juris ecclesiastici, cum sit tantum jus in spiritualibus anteedenter annexum, cap. quanto 3. de judicis. Hinc commentario adjungenda sunt, quæ adduxi in c. cum Apostolica, de his sunt à Prelatis, cap. consultationibus, cap. pastoralis, de donationibus.

## CAPUT IX.

Idem (a) Winton. Episcopo.

**Q**uerimoniâ Prioris, & fratrum de (b) Leuth. nobis litteris destinata audivimus, quod R. Herfod. Comes jus, quod idem Prior, & fratres in Ecclesia de Wic. ex donatione H. delati fundatoris Ecclesie suæ, & ipsius R. focieri habere debeant, coram bon. mem. I. quondam Wigor. Episcopo recognovit. Unde Episcopus postea jandictus Priorem, & fratres nullo reclamante, aut contradicente exinde (c) investivit, quam illi deinde quietè, & pacificè possederunt. Demùm cum inter præfatum Comitem, & C. uxorem suam, in cujus patrimonio Ecclesia illa consistit, divorcium per ecclesiasticum judicium celebratum fuisset, eadem C. W. Pictaviensi nupsit, qui Ecclesie præscriptæ fructus memorato Priori & fratribus subtraxit omnino, & eos in usus R. sacerdotis ejusdem loci sine Episcopali auctoritate convertit. Cùmque Postmodùm W. de medio sublato, præfata C. tertio viro W. de Mediran. esset matrimonio copulata, idem W. in ea, qua & W. temeritate persistens, jandictum R. in Ecclesia prætaxata contra Priorem supra dictum manutenere, & fovere incepit dicens, quod id quod prænominatus Episcopus I. fecit super Ecclesia, quæ de uxoris suæ advocacy existit, dum erat in potestate illius viri, à quo postmodum separata fuisse dignoscitur, nullam deberet firmitatem habere, præsertim cùm matrimonium uxoris suæ, sicut asserit, integrè sibi restitutum non esset, nisi de Ecclesia illa suam possit adimplere voluntatem. Unde quoniam absurdum videtur omnino, & ab Ecclesia Dei penitus eliminandum, ut ad singulas patronorum secundùm humanam conditionem (d) vicissitudines, Ecclesiarum debeant ordinationes mutari, nec quod à suprascripto H. taliter factum fuerit, alicui successorum lucuit revocare: & ideo per

per A. f. præc. m. quat. rei veritatem diligenter, & studiosè inquiras; & si ita inveneris esse, prout superius est narratum, sæpeditis Priori, & fratribus Ecclesiam prælibatam omni oc. & ap. cess. restitui, & in pace facias possidere. (d) Vicissitudines etiam hujusmodi Ecclesiarum ab (e) advocatis, vel aliis quibuslibet in tua diocesi fieri de cætero nulla ratione permittas, sed eorum præsumptionem usque ad dignam satisfactionem, dilatione sublata, vinculo excommunicationis percellas.

## NOTÆ.

- (a) *Winton.* ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub *hoc tit. cap. 11.* ex qua restituo presentem textum. De diocesi Wintoniensi Angliæ jam egi in *cap. cæterum, de rescriptis.*
- (b) *Launth.* ] Legendum forsitan est *Launthestoni*, quod monasterium est Canonicorum regularium ordinis D. Augustini in Angliâ, D. Stephano dicatum, quod contruxit Comes Cornuallie anno 1150. ut refert Pennotus *lib. 2. histor. canonic. regul. cap. 37.*
- (c) *Investitur.* ] Quia videlicet H. Patronus præsentaverat Priorem ad prædictam Ecclesiam de Wic.
- (d) *Vicissitudines.* ] Id est mutationes, ut exposui in *cap. quod autem, hoc tit.*
- (e) *Advocatis.* ] De quibus agemus infra, in *cap. præterea.*

## COMMENTARIUM.

2. **C**um repetentes ad hunc textum parum curasent de ejus integra, plura & prolixius aliena ab ejus decisione docuerunt: ut autem verus sensus Alexandri III. percipiatur, casus repetendus est. H. Comes Cornuallie, fundator monasterii Launth. cum simul esset patronus Ecclesie de Wic. que erat in diocesi Wigorniensis, eam donavit Priori, & Canonicis dicti monasterii: & Joannes Episcopus Wigor. ipsos de prædicta Ecclesia investivit: sed cum Conradam filium ipsius Comitis in uxorem duxisset R. Comes Herefordensis. Comes ipse ratam habuit donationem factam à socero suo: sed divortio facto quoad vinculum inter illum Comitem, & Conradam, ipsa secundo nupsit Comiti Pictaviensi, qui subtraxit decimas & fructus prædictæ Ecclesie de Wich. à dictis Priore, & Canonicis, & concessit R. cuidam clerico absque ulla Episcopi auctoritate; & cum deceffisset ipse Comes Pictaviensis, Conradam tertio nupsit Comiti de Mediran. qui eandem temeritatem sequutus, R. fovebat, à Priore autem & Canonicis fructus ipsius Ecclesie de Wic. auferebat, allegans, quod cum donationem ipsius Ecclesie fecisset R. Comes Herefordensis, & inter ipsum & Conradam divortium factum esset, dos debebat plenè restitui, juxta textum in *l. divortio 8. ff. solut. matrim.* & cum jus quod habebat Conradam in ipsa Ecclesia ei integrum, &

illibatum non restitueretur, plenè dos illi restituta non erat; & ita ipse, ut maritus, intendebat jus patronatus simul cum dote ad ipsum spectare, & ita posse præsentare presbyterum ad ipsam Ecclesiam de Wic. Alexand. III. contrarium decrevit, videlicet nec per ipsum, nec per Comitem Pictaviensem potuisse revocari donationem factam ab H. Comite Cornuallie, patrono ipsius Ecclesie; quia per mutationem personarum non debet legitime præsentatus ad Ecclesiam à novo patrono, vel ejus successore removeri; & rectè, nam præterquam, quod concessio Ecclesie de Wic. facta fuerat ab H. ejus patrono, etiam si facta fuisset ab R. Comite, ejus genero, infirmari non debebat; nam certum est jus patronatus annexum alicui Castro in dote dato, ad maritum pertinere, *l. de divisione 5. cum sequent. ff. solut. matrim. l. pro oneribus, C. de jure dotium;* & præsentatio sit fructus juris patronatus. Balboa & alii in *cap. cum Bertholdus, de re judic. Gutierrez 3. p. de tutel. cap. 29. num. 3.* & jus patronatus transeat cum universalitate honorum, extra dubium est, præsentationem ad maritum spectare, ut probant, & exponunt Petrus Barbola in *l. Divortio 8. §. si vir, num. 56. ff. solut. matrim. Lara lib. 2. de capell. cap. 3. nu. 20. Silva de qualitat. Prælat. num. 75. cum sequent.* Si ergo maritus ut patronus in præsentati specie donavit Ecclesiam de Wic. Priori, & fratribus de Launth. etiam si postea sequeretur divortium, ipsa donatio non erat infirmanda, quia divortio facto restituitur dos, non tamen fructus percepti; immò dividuntur pro rata temporis, per quod matrimonium duravit, *l. fructus 7. §. divortio, aliàs l. divortio 8. ff. solut. matrim.* Plura Pinellus *lib. 1. select. cap. 2.* Unde cum præsentatio ad Ecclesiam vacantem inter fructus juris patronatus numeretur, ideo præsentatio facta à marito, pendente matrimonio, non debet infirmari: & ita rectè concludit Alex. ex mutatione personatum, quia videlicet jus patronatus mutetur, & ad alium spectare incipiat, non debet infirmari præsentationem factam à prædecessore, quia presbyteri legitime præsentati, nec per successores, nec per ipsos patronos removeri possunt, ut docent Lambertinus *lib. 1. de jure patron. p. 2. artic. 36. num. 6. & artic. 12. quest. 1. p. 1. Roch à Curte cod. tract. verbo ipse, num. 27. Molina lib. 1. de primog. cap. 24. num. ult. Arellano lib. 3. antinom. 6.*

## CAPUT X.

Idem (a) Eborac. Archiepiscopo.

**I**nter cæteras. Et infra: Cum laici Episcopis nescientibus, aut non consentientibus, clericis Ecclesias concedunt, in quibus habent jus patronatus, & postea penitentiam

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Uuu 2

ducti

ducti alios ad eas Ecclesias Episcopis repræsentant, & illi ad eorum repræsentationem in eisdem Ecclesiis ab Episcopis instituuntur, eorum debet institutio stare, & firmiter observari, qui auctoritate Episcopi sunt instituti; concessione priori, quæ nulla est, omnino evacuata. Non enim licet laicis clericos in Ecclesiis propriâ præsumptione ordinare.

## NOTÆ.

(a) *Eboracen.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 12.* & post Con-

cilium Lateran. p. 15. cap. 1. & in c. inter, de rescript. ubi extat alia pars hujus decretalis. & commentarium hujus textus dedi in cap. 4. hoc titul.

## CAPUT XI.

Idem (a) *Abbatibus & Prioribus & Clericis per Archiepiscopatum Eboracen, constitutis.*

**C**ura pastorali necessitate constringimur, & auctoritate in juncti nobis officii provocamur pro statu Ecclesiarum vigili studio satagere, & ne ultra juris ordinem alicui conferri valeant Ecclesiæ, attentiori sollicitudine providere. Inde est, quod universitati vestræ per A. S. M. quat. ex donatione laicorum, nisi auctoritas diocesani Episcopi, & consensus adsit, nullus vestrum aliquas Ecclesias vendicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas, nisi longâ fuerit præscriptione munitus, aut postea diocesani Episcopi habuerit fortè consensum. Nos enim cum laici non possint in alios, nisi jus, quod habent, transferre, hujusmodi concessiones viribus carere decernimus, & irritas penitus esse censemus.

## NOTÆ.

(a) *Abbatibus.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 13.* & post Concilium Lateran. p. 15. cap. 12. in Metropoli enim Eboracensi sunt plura monasteria, tam monachorum, quàm canonicorum regularium, ut referunt Taurinus in serie *Abbatum, verbo Eboracensis*, Pennotus *lib. 2. hist. canonic. regul. c. 37.*

valuerat in Metropoli Eborac. juxta quam patroni concedebant Ecclesias ipsas, in quibus jus habebant patronatus, monasteria manichorum, seu canonicorum regularium, in perpetuum, quod facere nequibant sine consensu Episcopi *cap. consultationibus, cap. pastoralis, de donat.* ubi notavi: quo casu ut ipsa Ecclesia uniretur monasterio, non erat necessaria Episcopi institutio, sed tantum licentia. seu auctoritas. *dict. cap. consultationibus.* Unde ea deficiente tempore donationis à patrono factæ, talis concessio firma, & valida non erat, sed postea convalescebat, rataque habebatur, si monasterium per legitimum tempus Ecclesiam ipsam tanquam unitam monasterio possedisset, ut de aliis Ecclesiis à monachis in principio injuste obtentis, probavi in c. 1. de *capel. monach.* & docuit Heraldus Episcopus Turon. in  *suis capit. can. 79.* ibi: *Qui Ecclesiam trecentari jure possiderit, nulli deinceps subtrahere liceat:* aut si postea accederet consensus Episcopi, *cap. suggestum, hoc tit.* quo casu ex nunc valere similem unionem, docuit Acoita *ubi supra.* Non ergo in præsentî textu agitur de donatione facta à patrono laico ipsius juri patronatus; nam tunc cum facta esset locis religiosis, ut ex epigraphe, & integra hujus textus conitat, non erat necessarius Episcopi consensus, juxta tradita *supra in cap. illud;* sed de concessione ipsius Ecclesiæ, ut perpetuò unita maneret ipsi monasterio: quo casu necessarius est Episcopi consensus, *dict. cap. consultationibus.* Quæ interpretatio facile probatur ex ratione adducta ab ipso Alexandro ibi: *Cum laici non possint in alios, nisi jus, quod habent, transferre.* Agnovit ergo Pontifex jus patronatus rectè posse ipsos patronos in consilio Episcopo locis religiosis donare, quia illud jus ipsi habent: at verò Ecclesias, in quibus tantum jus patronatus obtinent, concedere etiam religiosis locis non posse.

## COMMENTARIUM.

**C**um certum sit juris principium, beneficium non posse obtineri sine institutione canonica, *cap. 1. de R. I. lib. 6.* nec patronum posse sine Episcopi institutione beneficium conferre, ex adductis *suprà in cap. 4.* difficilis profectò est præsens textus, dum in eo Alexander docet, legitimo temporis spatio posse presbyterum, qui Ecclesiam accipit à patrono laico, eam acquirere. Pro cujus textus expositione varia adduxerunt repetentes hic. Covar. & alii, quos refert Garanna in *cap. 1. hoc tit.* Balboa in *cap. ad aures, de præscript. num. 30.* Acoita de *privil. credit. ampl. 1. num. 56.* communiter docent, in præsentî agi, non de concessione Ecclesiæ, sed de donatione ipsius juri patronatus facta à laico, in qua cum desideretur Episcopi licentia, ex traditis *suprà in cap. illud;* ideo ut legitime laicus illud jus retineret, præscriptione legitimi temporis acquiri potuit. Sed facilè hæc interpretatio vincitur primò, quia ut ex littera hujus textus constat, non jus patronatus, sed Ecclesiam ipsam patronos concessisse, seu concedere consuevisse in Metropoli Eboracensi, apertè deducitur; & eam non concessisse laicis ut vult post alios Garanna, sed potius Abbatibus, Prioribus, & clericis, cum quibus Pontifex loquitur, & quibus rescribit. Quare veriùs dicendum est, in præsentî textu agi de consuetudine, quæ in-

## CAPUT XII.

Idem (a) *Lundon. Episcopo.*

SI verò aliquando ordinatio alicujus Ecclesie ad tuam institutionem spectat, & pro controversia laicorum de jure patronatus inter se discrepantium malitiosè differtur: fas tibi sit de auctoritate nostra, nullius ap. vel contr. ob. in eadem Ecclesia personam idoneam instituere, ita quod ipsa representaretur ab eo, qui jus patronatus evicit.

## NOTÆ.

1. (a) *Lundon.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 15.* & post Concil. Lateran. p. 15. cap. 12. ubi textus hic tribuitur non Alexandro III. sed Lucio III. ut in hac sexta compi-

latione, in qua legitur *Lincon.* quod verius credo, & ita existimo auctorem hujus textus esse Lucium III. & in presenti referri partem textus in c. *ad aures, de rescript. c. postremo, de appell. c. de rectoribus 3, de cleric. agrot.* qui textus sunt ejusdem Pontificis, & in eis eidem Episcopo rescribitur.

## CAPUT XIII.

Idem *de fil. (a) Hosp. & Templ.*

CUM sæculum reliqueritis, ut Creatori vestro possitis in arce contemplationis placere, decet vos ab his, quæ sunt obvia rationi, abstinere, vel quæ reprehensioni subjaceant, aut vestram opinionem, & famam valeant denigrare. Inde est, quod universitati vestræ districtus per A. s. prohibemus, nec cum ratione feudorum (b) emptorum, aliterve acquiritorum, vel etiam (c) alio modo jus patronatus in Ecclesiis parochialibus acquireritis, in eis presbyteros, nisi per Episcopos instituat, nec Episcopo jus parochiale minuere, aut auferre aliquatenus præsumatis: (d) excommunicatos quoque ipsius Episcopi, vel Archidiaconorum suorum contra authentica scripta Romanæ Ecclesie ad divina officia in capellis vestris recipere non audeatis.

## NOTÆ.

1. (a) *Hosp. & Templ.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc titul. capite 16.* & post Concil. Lateran. parr. 15. cap. 13. De Hospital. & Templar. nonnulla adduxi in capite 16. de iudiciis.
2. (b) *Emptorum.*] Et ita cum universitate bonorum jus patronatus potuit in emptorem transferri, ut jam probavi in capite ex literis, hoc titul.

(c) *Alio modo.*] Donatione videlicet, præscriptione, aut permutatione, de quibus Valens lib. 1. de benefic. cap. 4. Et plerumque jus patronatus spectare ad monachos, probavi in cap. 1. de capel. monach.

(d) *Excommunicatos.*] Hæc verba omisit Raymondus in presenti, ut minus propria hujus tituli, vel quia ex Concilio Lateran. referuntur in capite cum & plantare, s. excommunicatos, de privil. Commentarium hujus textus dedi supra in capite 4.

## CAPUT XIV.

(a) Idem.

EX insinuatione dilecti filii nostri O. clerici accepimus, quod cum frater suus ei jus patronatus, quod in quibusdam Ecclesiis in Lincon. & Salesberien. (b) Episcopatus constitutis habebat, liberaliter (c) contulisset, easdem Ecclesias quidam presbyteri, & alii occasione fratris prædicti O. sine ipsius voluntate, & assensu occupaverunt per violentiam, & eas injustè detinent occupatas. Quia igitur nostra interest, ea quæ minus ordinatè ab aliquibus subjectis attendantur, ad rectitudinis tramitem revocare, f. v. p. A. s. p. m. quat. rei veritate diligenter inquisitâ, & cognitâ,

D. D. Gonzal. in *Decretal.* Tom. III. Pars II.

Uuu 3

si ita,

fi ita, sicut dictum est, esse inveneritis, memoratos presbyteros Ecclesiarum earundem detentores moneas, modisque omnibus inducas, ut easdem Ecclesias prædicto clerico sine mora, & difficultate restituant liberè, & pacificè (d) ordinandas, & nullam ei exinde molestiam ferant, vel gravamen. Quod si prædicti presbyteri commotioni tuæ acquiescere fortè noluerint, tu ipsos excommunicationi; & terras, si quas habent, omni oc. & a p. cess. interdicto subijcias. Et in memoratis Ecclesiis divina facias cessare officia, quandiu a b aliquibus prædictorum auctoritate militum occupatæ detinebuntur: quod si nec sic earundem Ecclesiarum detentores resipuerint, ipsos ap. cess. ecclesiasticâ censurâ percellas.

## NOTE.

- x. (a) **[Dem.]** Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 17. & post Concil. Lateran. p. 15. cap. 14. nullibi tamen exprimitur Prælati, cui rescribat Pontifex; sed inscriptio supplenda est ex cap. 2. de filiis presby. ubi refertur alia pars huius textus, ut jam ibi notavi.
2. (b) **[Episcopatus.]** Angliæ videlicet, quos refert Carolus à sancto Paulo lib. 6. geograph. sacr. per tot.

(c) **[Contulisset.]** Quod facere poterat propriâ auctoritate absque Episcopi licentia, secus verò si in laicum transferre intenderet, ut probavi supra in cap. illud.

(d) **[Pacificè ordinandos.]** Quia ipse vetus patronus erat, & absque ejus voluntate nemo, etiam vacante Ecclesiâ in ea ordinari valebat, cap. 1. §. adificatori, 16. quest. 5. cap. quicumque, §. final. o. decernimus, cap. monasterium 16. quest. 7. cap. illud §. final. cap. novit, §. ceterum, hoc tit. cum aliis infra referendis in cap. eam te.

## CAPUT XV.

Idem (a) *Adrensi* Episcopo.

CONSULUIT nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de clericis, qui (b) Ecclesias constructas hæreditarij jure sibi vindicant, nec tibi volunt exinde respondere; & de laicis, qui præscriptas Ecclesias filiis, vel (c) nepotibus suis dare nituntur. Cum autem (d) sanctarium Dei jure hæreditario teneri non possit, & indignum sit penitus, & absurdum, ut quilibet auctoritate propriâ Ecclesias occupet, vel taliter occupatas detineat, non decet aliquatenus sustinere, ut in Episcopatu tuo, vel clerici Ecclesias à parentibus suis fundatas auctoritate propriâ detineant, aut laici filiis, vel aliquibus aliis Ecclesias ipsas (e) concedant.

## NOTE.

- x. (a) **[Adrensi.]** Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 18. post Concil. verò Lateran. p. 15. cap. 15. ubi reperitur hic textus, non exprimitur Episcopus, cui rescribat Pontifex: in hac sexta collectione legitur *Adrensi*. Adria nobilis civitas est intra fauces Padi fluminis, in Transpadana Emilia, ad mare, quod ab ejus nomine Adriaticum dictum est: Hætrurcorum antiquissima gens fuisse coloniam sexcentis annis ante Christum natum, referunt Varro, Livius, Plinius, & Strabo relati ab Ughellio tom. 2. Italia sacre, fol. 396. habuit Ecclesiam Cathedralē jam à primis Christianæ religionis seculis; sed propter aëris intemperiem auctoritate Joannis X. summi Pontificis translata fuit Rhodigii. Ejus Ecclesiæ Præsuli Gabrieli, qui interfuit Concilio Lateran. sub Alexandro III. celebrato, missa est præsens De-

cretalis, cujus alia pars extat in cap. 2. de frigid. & malef.

(b) **[Ecclesias.]** Neutiquam accipias in præsentem Ecclesiam proprio jure patronatus, in quo datur successio hæreditaria, ut jam notavi in c. 1. hoc tit.

(c) **[Filiis vel nepotibus.]** Quod facere possunt, ut probavi in cap. quia clerici, hoc tit.

(d) **[Sanctuarium Dei.]** Ut jam late illustravi in cap. 1. de præb.

(e) **[Concedant.]** Auctoritate propriâ ut sæpius in hoc titulo repetitum legimus, nam præsentare ipsos Episcopo, ut ab eo institutionem accipiant, facere possunt, ut probavi supra in cap. quia clerici. Nec in præsentem id prohiberi intenditur, sed tantum ne patroni occupent Ecclesias propriâ auctoritate, in quibus jus obtinent patronatus; aut eadem auctoritate filiis, vel nepotibus concedant, ut facile constat ex ratione adducta ab ipso Alexandro, in illis verbis: *Cum autem sanctuarium Dei, &c. & jam notavi in c. 1. hoc tit.*

## CAPUT XVI.

(a) Idem.

DE jure verò patronatus in præscripta capella, hoc tuæ discretioni mandamus, ut si prædictus R. ipsum comparavit, cum inconvenientis sit, & penitus inhonestum vendi jus (b) patronatus, contractum illum sub. ap. rem. irritum denuncies manere, ipsumque Apostolica auctoritate fretus non differas revocare.

## NOTÆ.

1. (a) *[Dem.]* In prima collectione, sub hoc titulo cap. 20. ita legitur; & post Concilium Lateran. p. 15. cap. 17. tantum legitur *Idem*: sed in eadem appendice, p. 47. cap. 1. legitur ut in præfenti à Raymundo transcribitur: & forsàn ad eandem causam spectat textus in cap. ad aures 19. hoc tit. in eadem collectione, ubi sub eadem inscriptione hæc verba leguntur: [Ad aures nostras pervenit, quod Robertus, & W. de Crotona jus patronatus Ecclesiæ emere non dubitavit, & Canonicis de Stodeleja tantas molestias intulit, persecutiones, & gravamina, quod metu, & dolo illius seducti, juri suo penitus renunciaverunt. Unde quoniam cum jus patronatus connexum sit spirituali, nemini licitum

est vendere illud, d. t. p. A. f. m. quat. utraque parte ante convocata, rei veritatem diligentius inquiras, & si ita esse inveneris, prædicto R. super patronatu Ecclesiæ, oc. & ap. rem. perpetuum silentium imponas, & prædictis Canonicis jus, quod ibi habebant, si Prior eorum metu capitis, quod idem R. se abscissurum fide, ut fertur, firmavit, eidem renunciaverit, integrè facias restitui, non obstantibus literis nostris (si quæ sunt) tacitâ veritate impetratæ.] De Cantuariensi Metropoli nonnulla notavi in cap. ... de rescriptis.

(b) *[Jus patronatus.]* Primo & principaliter, quia est spiritualibus annexum, cap. quanto 3. de judic. Lotharius de re benef. lib. 2. cap. 9. Simul tamen cum universitate bonorum alienari valet, ut probavi supra in cap. 1.

## CAPUT XVII.

(a) Idem.

NULLUS laicus (b) decimas, aut (c) Ecclesias, aut quidquid ecclesiastici juris est, sine concessione sui Pont. nec monasteriis, nec canonicis offerat: & si quis Episcopus improbitatis, & (d) avaritiæ causa consentire noluit, Romano (e) Pontifici nunciatur, & quod offerendum est, tunc de licentia ejus offeratur.

## NOTÆ.

1. (a) *[Dem.]* Nec in prima collectione, ubi sub hoc tit. cap. 21. reperitur hic textus; nec post Concilium Lateran. p. 15. cap. 18. exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex. forsàn legem generalem condere in præfenti voluit, & ita non ab aliquo Prælato consultus, sed motu proprio præsentem edidit constitutionem.

2. (b) *[Decimas.]* Juxta tradita in cap. ad Apostolicam, de his quæ fiunt à Prælato.

(c) *[Ecclesias.]* Id est beneficia ipsa, seu Ecclesias, ad proprietatem, non verò jus patronatus; quia illud sine Episcopi consensu locis religiosis donari potest, cap. illud 8. hoc tit. ubi textum hunc exposui.

(d) *[Avaritiæ causâ.]* Forsàn petendo redem-

ptionem, seu pensationem. Idem quibus egi in Capite 1. de capellis monachorum.

(e) *[Romano Pontifici.]* Sed quare non est adeundus Metropolitanus immediatus superior, ut consensus illum præstet, vel Episcopum illum præstare cogat? Variè satis aciunt Doctores congetti à Barbofa hic, sed placet sententia Sebastiani Cæsaris de Ecclesiæ hierarch. dist. 5. §. 2. num. 21. quem suppresso nomine sequitur Barbofa in præfenti, videlicet, quod cum consensus Episcopi in præfenti desideretur pro solemnitate ipsius actus, ex cap. consultationibus, de donat. non potest suppleri per Metropolitanum, sed tantum per ipsum Summum Pontificem, ut probat doctè ipse Barbofa: poterat tamen Archiepiscopus cogere ipsum Episcopum, ut consensus præstaret.

## CAPUT XVIII.

(a) Idem.

Significasti. Et infra: Cæterum si Episcopi post promotionem suam præsentationes personarum ad Ecclesias à patronis earum pro Ecclesiis sibi commissis adepti fuerint, personæ idoneæ, quas ad eas vacantes repræsentaverint, sunt admittendæ.

Uuu 4

NOTÆ

## NOTÆ.

1. (a) **I**dem.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 22. & post Concilium Lateran. p. 15. cap. 19. legitur *Norvicensi Episcopo*; unde cognoscitur, in præsentem referri partem textus in cap. significasti 9. de offic. deleg. ubi extat integra Decretalis. Verba autem, quæ in præsentem referuntur, plenam lucem accipiunt ex Concilio Arausico. 1. can. 10. ubi ita sanxerunt PP. *Si quis Episcoporum in aliena civitatis territorio Ecclesiam adificare disponit, vel profundis sui negotio, aut ecclesiastica utilitate, vel pro quacunque suorum opportunitate, præmissâ licentiâ adificandi (quia prohibere hoc nefas est) non presumat dedicationem, quæ illi omnimodò reservatur, in cuius territorio Ecclesia as-*

*surgit: reservatâ verò adificatori Episcopo hac gratiâ, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinetis, in cuius civitatis territorio est; vel si ordinari jam sunt, ipsos habere acquiescat, & omnis Ecclesia ipsius gubernatio ad eum, in cuius civitatis territorio Ecclesia surrexit, pertinebit.* Concessum ergo fuit Episcopis patronis, ut etiam in Ecclesiis existentibus in aliena diœcesi possint præsentare presbyteros, & virtute huius præsentationis debeant admitti à propriis Episcopis, in quorum territoriis Ecclesiæ illæ erant. Unde quod de Episcopis constituentibus Ecclesias in aliena diœcesi in dicto canone cautum erat, hic protrahitur ad casum, in quo ad Episcopum jam consecratum juspatronatus in aliquibus Ecclesiis alienæ diœcesis pervenit; nam tunc etiam potest propriâ auctoritate in eis presbyteros instituire.

## CAPUT XIX.

Idem Abbati (a) S. Albani.

**C**onsultationibus. *Et infra:* De cætero si aliquis clericus ab ordinatio iudice in Ecclesia aliqua institutus fuerit ad repræsentationem illius, qui ejusdem Ecclesiæ credebatur esse patronus, & postea juspatronatus alius eviderit in iudicio; clericus qui institutus est, non debet ab Ecclesia ipsa propter hoc removeri, si tempore præsentationis suæ ille, qui eum præsentavit, juspatronatus Ecclesiæ possidebat. Si verò non possidebat juspatronatus, sed tantùm credebatur esse patronus, cum non esset, nec possessionem patronatus haberet, secundùm consuetudinem Anglicanam poterit ab eadem Ecclesia removeri. Donationes verò, vel concessiones Ecclesiarum, si quæ fiant privatis personis, viventibus illis, qui ipsas Ecclesias possident, nullius debent esse momenti: si religionis fiant locis, ratæ debent haberi; ita quidem, quod personæ quæ jam dictas Ecclesias possident, sine ipsarum assensu eis in vita sua non debeant spoliari.

## NOTÆ.

1. (a) **S**anti Albani.] Ita legendum est, ut legitur in cap. 23. sub hoc tit. in 1. compil. & post Concilium Lateran. p. 15. cap. 20. & in cap. consultationibus, de offic. deleg. cap. consultationi, de donat. ubi extant alia partes huius textus.

42. Mancinus *sacri iur. controvi. dissert. 9. cap. 8. Salgado de protect. Regia. 3. p. cap. 1. num. 160. Tondutus de benef. p. 2. cap. 4. §. 9. num. 11. & latè probavi in cap. querelam de elect. Id tamen ita accipiendum est, si ipse bonæ fidei possessor erat; nam si cum mala fide juspatronatus possidebat, sicut non facit fructus suos, ita nec præsentare valet, ut docuerunt Lambertinus de iurepatron. lib. 2. p. 1. §. 3. art. 2. §. 7. Garcia de benef. 5. p. cap. 5. num. 69. Lotherius lib. 1. de re benef. §. 34. num. 28. Cabedo de Patronatu Regio, cap. 8. num. 2. §. 7. Lara de annivers. lib. 2. cap. 9. num. 4. Salgado de Regia protect. 3. p. cap. 1. num. 160. Tondutus tom. 1. refel. p. 2. de benef. cap. 4. §. 9. Illustr. Ramos pro Episcop. Lusit. propos. 1. §. 1. num. 48. Commentarium huius textus dedi in d. cap. querelam.*

## COMMENTARIUM.

2. **E**x hoc textu communiter deducitur, clericum præsentatum ab eo, qui est in quasi possessione juspatronatus, non esse removendum ab Ecclesia, et si evincatur juspatronatus à vero possessore: quod etiam probatur ex cap. querimoniam, hoc tit. l. 9. tit. 15. partit. 1. & docent Barbosa lib. 3. juris eccles. cap. 12. num. 183. Gutierrez lib. 3. canonic. 9.

## CAPUT XX.

Idem Eborac. (a) Archiepiscopo.

**S**uggestum est auribus nostris, quod cum Ecclesiæ de Ochona, ac de Boraes, Saiter, & de Land. de assensu Domini fundi, & auctoritate Eboracensis Archiepiscopi Ecclesiæ B. Petri Eborac. concessæ, & assignatæ sint in præbendam, Canonici de (b) Novoburgo concessionem illam attenuare, & irritare nituntur occasione donationis, quam sibi asserunt prius factam fuisse. Unde quoniam licet in donationibus Eccle-

Ecclesiæ requirendus sit, & expectandus patronorum consensus, Ecclesiæ tamen ipsæ, nisi auctoritas intervenit Pontificalis, canonicè concedi non possunt: universitati vestræ significamus, quod prior concessio, si cum assensu patroni, & auctoritate diocesanæ Episcopi facta est, aut ejus fuerit assensus postea subsecutus, posteriori concessioni præfertur: alioquin illa debet præferri, quamvis posterius facta sit, quæ consensu domini fundi, & Episcopi auctoritate fulcitur.

## NOTÆ.

(a) **E***Boracensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 25.* & post Concilium Lateran. p. 15. cap. 23. De Eboracensi Metropoli nonnulla adduxi in cap. 4. de *rescriptis.*

(b) *Novoburgo.*] Forfan legendum est, *Novoburgo:* quod monasterium est in diocesi Eborac. Canonicorum regularium Ordinis D. Augustini, constructum anno 1127. ut refert Pennotus *lib. 2. hist. canonic. regul. cap. 37. num. 10.* & commentarium hujus textus dedi in cap. 4. cap. *illud, hoc tit.*

## CAPUT XXI.

Idem Archiepiscopis, & Episcopis per Angliam (a) constitutis.

**R**elatum est auribus nostris, quod nonnulli ambitione nimia tracti, occasione laicæ recognitionis, & potentia secularis, in seculari foro, non requisita Episcopi audentia, patronatus Ecclesiarum, & beneficia ecclesiastica sibi præsumunt in vestris parochiis vindicare. Quoniam igitur hujusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliunde descendunt, ac per hoc indigni sunt pastoris nomine, vel prærogativâ gaudere, f. v. per A. l. m. atque præc. quat. eos, quos noveritis patronatus Ecclesiarum, & Ecclesiastica beneficia prædicto modo adeptos, si commoniti minimè resignaverint, nisi præscriptione, aut Episcopali concessione muniti fuerint, sublato ap. diffugio ab officio reddatis, & beneficiis alienos: & si nec sic destiterint, vinculo anathematis innodetis, & usque ad dignam satisfactionem teneatis, & teneri faciatis adstrictos. Ad (b) hæc quoniam quidam laici Ecclesias terris, & aliis possessionibus spoliant, ut sic viros Ecclesiasticos faciant coram seculari iudice litigare: præsentium vobis auctoritate injungimus, ut id publicè sub interminatione cuteris anathematis prohibere. Si quis autem prohibitionis vestræ contemptor extiterit, eum, si manifestum fuerit, ap. cess. excommunicationi subdatis, & usque ad dignam satisfactionem, sicut excommunicatos, faciatis attentius evitari.

## NOTÆ.

1. (a) **C***onstitutis*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 27.* & post concilium Later. p. 50. cap. 33. ex quibus codicibus ita restituo litteram hujus textus.

(b) *Ad hæc.*] Verba quæ sequuntur, exposui in cap. cum sit 8. de foro *compet.*

Episcopi institutione. Quare pro hujus textus expositione existimo, in eo agi de eadem consuetudine, seu potius corruptela, quæ invaluerat in Anglia, videlicet, quod patroni conferrent Ecclesias, in quibus habebant jus patronatus, cum ipso patronatus jure, irrequisito Episcopo; quam improbat Alex. III. rescribens Abbatibus, Prioribus, & Canonicis Regularibus per Angliam constitutis, supra in cap. *cura*, eamque etiam in præsentis reprehendit rescribens Archiepiscopis, & Episcopis Angliæ: unde præsens textus exponendus est juxta textum in *dist. cap. cura*, & ibi adducta, videlicet, ut in eo agatur de Ecclesiis concessis per patronos monasteriis, & locis religiosis, quas de jure concedere non poterant sine consensu Episcoporum, cap. *consultationibus, de donat.* Sed cum hic consensus non pro institutione, sed pro solemnitate desideraretur, ideo si monasteria ipsa, vel personæ religiosæ Ecclesias illas per legitimum tempus tenuissent eas præscriptione acquirebant, juxta textum in *d. cap. cura.*

## COMMENTARIUM.

2. **T**extus hic, prout compilatur à Raymundo in præsentis, levem, aut nullam difficultatem continet; siquidem omnino convenit supra traditis in cap. 4. *hoc tit.* videlicet, patronum propriâ auctoritate non posse Ecclesiam concedere irrequisito Episcopo, nec clericum posse de manu ipsius eam accipere. Sed prout hic transcribitur ex dicta prima collectione, difficilis est in illis verbis: *Nisi præscriptione, &c.* quæ omisit Raymundus, siquidem ex illis deducitur, præscriptione acquiri posse licitè Ecclesiam absque ulla

## CAPUT XXII.

(a) Idem.

**E**Am te decet. *Et infra*: Illas autem Ecclesias, de quarum patronatu controversa fuerit, si intra sex menses postquam vacaverint, non fuerit controversa terminata, licitum tibi sit de persona idonea ordinare.

## NOTÆ.

1. (a) **I**dem.] Inscriptionem hujus textus exposui in cap. eam te, de arate & qualitat. ubi extat ejus prior pars.

## COMMENTARIUM.

2. **I**nter alias jurispatronatus ecclesiastici, & secularis differentias, illa notissima est, quod patrono ecclesiastico competit semestris ad presentandum; patrono vero laico quadrimestris, cap. quoniam, hoc tit. cap. unic. §. final. eod. tit. lib. 6. cap. quia, de concess. prebend. cap. licet, de supplend. pluribus relatis docent Salgado de protecl. reg. 3. p. cap. 11. num. 62. Solorzano tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 48. Unde textus hic accipiendus est de patrono ecclesiastico, ut post repetentes in presenti docuit Valens lib. 1. de benef. tit. 4. num. 10. Intra hoc autem tempus nulla potest in ipsa Ecclesia institutio fieri absque consensu patroni, dicto cap. unic. sed eo tempore elapso, quod incipit à die notitiæ vacationis, juxta adducta in cap. literas, de supplend. quare prius probari debet, ut resolvit Marinus lib. 1. resol. cap. 300. Episcopus in ea Ecclesia presbyterum ordinabit, dicto cap. quoniam, 3. cap. si vero 12. cap. cum propter 27. hoc tit. Consonat lex 11. tit. 15. part. 1. Probat ultra congestos à Barbofa & Garaña in presenti, Lara de ca-

pel. lib. 2. cap. 9. num. 38. Illustr. Ramos ad Alex. VII. pro Episc. Lusit. propos. 2. num. 1. Luna & Arellanus lib. 3. antinom. 7. Valens de benef. dicto tit. 4. cap. 14. nam cum plurimum interfit Ecclesias non diu vacare, ut probavi in cap. ne pro defectu, de elect. Summus Pontifex, qui ex gratia concessit patronis, ut possint presentare clericos ad beneficia vacantia, potuit statuere, ut illis non presentantibus, etiam propter discordiam inter eos ortam, pro ea vice amitterent jus presentandi, ad Episcopumque devolveretur, dicto cap. si vero 12. a. cap. cum propter, probant Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 60. Riccius in praxi, decis. 188. Ludovicius decis. 94. Vivianus de jure patron. p. 2. lib. 7. cap. 3. num. 7. Spino in specul. gloss. 4. num. 4. Lara lib. 2. de capel. cap. 9. num. 38. Barbofa lib. 3. juris Eccles. cap. 12. num. 71. & alleg. 72. num. 140. & malè Gutierrez lib. 1. canonic. cap. 28. num. final. exultimavit, durante lite inter electores non currere semestris, adducto capite 2. de in integrum restit. quod nihil probat. Et negligente monasterio, devolutio etiam fit ad Episcopum, Barbofa alleg. 126. num. 66. cum sua qualitate, Valenzuela consil. 103. num. 42. Si autem patroni legitime sint impediti, quia illis non currit tempus, dicto cap. quia, cap. final. de elect. Episcopus aliquem ordinare non potest, juxta tradita in dicto cap. literas, dicto cap. quia, ex quibus commentariis presentis petendum est.

## CAPUT XXIII.

(a) Lucius III.

**P**raeterea, quoniam advocati Ecclesiarum in tantam noscuntur insolentiam prorupisse, ut sacerdotes, & alios ecclesiasticos viros pro suæ voluntatis arbitrio in Ecclesiis ipsis constituent, atque destituant, & jus advocacionis donationis, vel emptionis titulo, aliisque pro sua voluptate contractibus etiam in alios transferre praesumant, (b) fodrum, (c) albergarias, (d) regium, similia, tanquam à propriis rusticis, ab ipsis ecclesiis extorquentes; & quod ministri Ecclesiarum eis inconsculis faciunt, juxta proprium arbitrium in irritum deducunt: presenti decreto subnectimus, & auctoritate Apostolicâ firmamus, eos, sive Advocati, sive Patroni, vel Vicedomini, sive custodes, vel guardias habentes, seu alio quolibet nomine censeantur, à praedictorum gravaminum importunitate cessare nihilque in Ecclesiis, in quibus sibi aliquam de praedictis vindicant potestatem, praeter antiquos, & moderatos redditus à locorum Episcopis institutos exigere, aut si aliud exegerint, excommunicationis sententiæ subjacere: contractus etiam, quos de alienatione advocacionis, sive patronatus vel fecerint hactenus, vel facere in futuro praesumpserint, presenti institutione cassamus, & eos vim aliquam decernimus non habere. Ne autem per appellationis obstaculum, aut in iis, quæ de hæreticis dicta sunt, aut Advocatorum coercitione, quam diximus, presentium deludatur auctoritas decretorum, totius appellationis remedium in praescriptis capitulis denegamus, nullam penitus audientiam cuilibet contra hæc appellationibus praebituri.

NOTÆ

## NOTÆ.

1. (a) **[Ucius III.]** Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 19. ubi additur, pars capituli ad abolendam: unde cognoscitur, in presenti referri partem textus in cap. ad abolendam, de hereticis; nulli tamen Prelato rescribit Lucius, quia in presenti novam edidit constitutionem, non alicujus consultationi respondens, aut litem decidens, ut ex ipsius verbis facile constat.

2. (b) **[Foderum.]** Foderum, sive fodrum, est alimentum, sive pabulum, quod alicui solvitur; quo modo accipitur in diplomate Conradi I. Imperatoris, quod extat in legibus Longobard. l. 4. tit. 8. lib. 3. ibi: *Foderum de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus.* Fridericus de pace Constantiæ: *Foderum consuetum, & Regale, que solent & debent, prestabunt.* Sigonius libro 8. de Regno Italiae, & lib. 7. ejusdem operis, ita ait: *Foderum summa quadam frumenti sicut, quam adveniendi in Italiam Regi populi solvere tenebantur; pro quo sepe etiam estimata pecunia pendebatur.* Petrus de Vineis lib. 2. epist. 29. Viarum asperitas fodri consuetem interdicit. Guntherus lib. 8. *Ligurini, vers. 570.*

*Ac primum Ligures super hoc à Rege rogati, Vectigal, portus, cudente jura moneta, Cumque molendinis, telonea, flumina, pontes, Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt, Et Capitolium certo sub tempore censum: Hec Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.*

Explicant Lindembrogus in *Glossar.* verbo *Foderum.* Vollus de vitis ferm. lib. 2. cap. 6.

(c) **[Albergarias.]** Albergaria est hospitiorum præbendorum onus, ut exponit Boëtius Epon. de regul. num. 25. unde advocati ab Ecclesiis, & clericis extorquere intendebant hospitium.

(d) **[Regium.]** Tributum videlicet, ut exponit Glossa in presenti; nam jus Regalium plerumque Principes supremi in beneficiis ecclesiasticis exercent, ut probat Boëtius Epon. tom. 1. qq. heretic. tit. de Regalibus, num. 23.

## COMMENTARIUM.

3. **UT** textus iste plenè intelligatur, aliqua præjacienda sunt de advocatiis, advocatis, & cattedis Ecclesiarum. Et primò sciendum est, quod cum res Ecclesiarum armis, & ferro per ecclesiasticos non defendantur, obnoxie semper fuerunt injuriis. Inde factum, ut Ecclesiarum tutelam Magnatum mediæ, vel immediatè se committerent, ut patronis, vel advocatis, ut habetur lib. 2. epist. Gregor. VII. aut custodiæ, vel ut aliqui barbarè loquebantur, mundeburdis, aut guardiæ nominis. Et quidem advocatiam, seu defensionem Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium, ad Reges, & supremos Principes spectare, qui eas sub protectione Regia habent, testatur D. Bernardus epist. ad Lotharium Imperatorem, epist. 139. ibi: *Non est meum hortari ad pugnam; est tamen advocati Ecclesie arcere ab Ecclesia infestatione schismaticorum rabiem.* Idem epist. 243. ad Conradum Regem Romanorum, ibi: *Utrumque interesse Cesaris constat, & propriam tueri Coronam, & Ecclesiam defensare: alterum Regi, alterum conveni Ecclesie advocato.* Inde concepta formula apud Marculfum lib. 1. cap. 24. de Mundeburde, his verbis: *[Rectum est, ut Regalis potestas illis*

tutionem impertiat, quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo, seu utilitas vestra, quod nos Apostolicum, & venerabilem illum Episcopum, ut Abbatem Ecclesie, vel monasterii in honorem illius sancti constructi, cum omnibus rebus, vel hominibus, aut gassinis, vel amicis, seu undecunque ipse legitimo redibit mittio, juxta ejus petitionem, propter malorum hominum illi-citas infestationes, sub sermone tutionis nostræ visi fuimus recepisse, ut sub mundeburde, vel defensione illustris viri illius majoris domus nostræ, cum omnibus rebus præfata Ecclesie, aut monasterii quietus debeat residere, & sub ipso viro illo illustris vir ille causas ipsius Pontificis, aut Abbatis, vel Ecclesie, aut monasterii, vel qui per eum sperare videntur, vel undecunque legitimo redibit mittio, tantum in palatio nostro sequi deberet. Propterea per præsens decernimus ac jubemus præceptum, ut memoratus Pontifex, aut Abbas sub nostro sermone, & mundeburde anreducti viri quietus resideat; & nec vos, nec juniores, aut successores vestri, vel quislibet eum de inquisitis occasionibus injuriare, nec inquietare, præsumatis. Et si aliqua causæ adversus eum, vel suo mittio surrexerint, quæ in pago absque ejus gravi dispendio definitæ non fuerint, in nostri præsentia reterventur. Quam præceptionem, ut firmiter habeatur, propria manu subscripsimus.] Unde in Synodo Confluentina ita legitur: *Volumus, ut Ecclesia, & casa Dei, & Episcopi, & Dei homines, clerici, & monachi, & nonne talem mundeburdem, & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Reges autem hujusmodi advocatiam, seu custodiam in Ecclesiis, & monasteriis habeant, aut quia ea construxerant, vel quia privati fundatores, ut ipsa monasteria in tuto essent, advocati, & tutela Principum ipsorum passim commendabant. Concilium Mendenle can. 41. ibi: *Providendum est Regie majestati, ut monasteria, que ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius causâ defensionis, & mundeburdis susceperunt, &c. Synodus Ticinensis can. 16. ibi: Suggestendum est Beatissimis Imperatoribus, quia hi, qui monasteria, & xenodochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quod à nullo melius quam à summis potestatibus protegendâ crediderint.* Sic Wifredus Comes Bituricensis, & Oda ejus conjux fundatores monasterii Stradensis, Pipini Regis tutioni id credidisse celebrantur ab auctore vitæ Sancti Genulii lib. cap. 8. his verbis: *Quibus ut se tempus obtulit opportunum, continuo de rebus eisdem loco delegandis testamentum faciunt, Domini-que Pipini Regis adentes præsentiam, vota suggerunt, & locum sibi rebus decretis per testamentum ejus potestati committunt, ut ipsius auctoritate, atque Francorum deinceps Regum providentiâ tueretur.* Sic eisdem Pipino Regi monasterium sancti Galli, cap. 1. securitatis gratia tradidit Waltramus Comes, Raptus monachus: *Postea verò tempore precedente, atque statu monasterii in melius proficiente, prefatus Waltramus eundem Abbatem Orthmarum Pipino Regi præsentavit, ipsique Regi monasterium, quod adhuc hereditario jure in sua tenebat potestate, cum ipso pariter Abbate contradidit; eâ videlicet causâ, ut ipse Abbas, ejusque successores idem monasterium Regiâ auctoritate retinentes, nullius deinde violentiâ premerentur, sed tantummodo Regum jussionibus obedirent.*

dicent. Nonnunquam etiam advocatia Regia inde progredita, quod ipsæ Ecclesiæ, vel monasteria ultro se Regibus in tutelam dederunt, ut Carolo Magno Laurishamense monasterium. Chronicon Laurishamense anno Christi 776. Gundelandus igitur Abbas in iuris sui quietâ possessione, tum dictante iustitiâ, tum Regiâ auctoritate confirmatus, Laurishamense monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus in manus, & mundeburdem gloriosi Regis Caroli tradidit, quatenus privilegium insigniretur Regalibus. Ecclesiarum autem hæc advocatia adeo Coronæ Regiæ inhæret, ut Cathedralium, vel aliarum Regiæ foundationis patrocinium cum universitate, id est concessione Ducatus, vel Comitatus, in quibus Episcopatus vel Regales Abbatia positæ erant, non transirent in alium. Hinc concessa Neufriâ Hugoni Abbati, seu Carolo Simplici ante irruptionem Normannorum, non venere Episcopatus. Chron. Andegavense: *Iste itaque tractus, cum & datus esset ad integrum cum Civitatibus, & Comitatibus, & Abbatibus, Castellisque, præter Episcopatus solos, qui in Regia Domini cura retentati sunt.* Eodem iure advocatiam Ecclesiarum Burgundia armata manu vindicavit Philippus Augustus adversus Hugonem Ducem Burgundia. Igitur Reges Francorum prædictas Ecclesias in sua libertate semper custodire cupientes, quibuscunque Principibus terras custodiendas tradidissent; tamen Ecclesias sub potestate sua, & protectione retinere decreverunt, ne Principes, quibus terra custodienda à Regibus delegabatur, Ecclesias, vel clericos ibidem Domino servientes aliquibus angariis, taleis, vel aliis exactionibus gravare præsumerent. Varia exempla Imperatorum, Regumque, qui advocatias Ecclesiarum susceperunt, referunt Andreas Quercetanus in *histor. genealog. familia à Bertuna, lib. 1. cap. 3.* Gibalinus tom. 2. de negot. lib. 6. cap. 6. artic. 9. M. Magerus de advocat. armat. cap. 2. Joannes Dartis ad Decret. in 76. dist. Theophilus Raynaudus tom. 12. tract. mala è bonis Eccles. lib. 2. sect. 1. fol. 131.

2. Hæc de supremis Principibus advocatis Ecclesiarum sufficiant, ut ad Duces, Comites, & alios inferiores advocatos Ecclesiarum perveniamus. Sciendum enim est, laborante Africana Ecclesia Donatistarum, aliorumque, quibus scatebat, hæreticorum tyrannide, rerum sacrarum, & privatorum direptione, nefariisque caedibus, tum sacerdotum, tum laicorum, ad petitionem PP. Synodi Carthag. 5. beneficio Principum in singulis Africanis Ecclesiis institutos fuisse defensores, ut hæreticorum sævitiam manu militari compescerent, & quieti Ecclesiarum confulerent. Hæc de re sancitus fuit canon 22. in eodem Concilio, qui refertur à Gratiano in cap. ab Imperatoribus 23. q. 3. notarunt Balsamon & Zonaras in can. 78. 81. & 100. Synodi Carthag. Defensores hi diu permansere in Ecclesiis Africanis, ut constat ex Possidio in vita D. Augustini, cap. 12. De quare, inquit, ne pacis Ecclesiæ amplius impediatur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non sinit Cassiodor lib. 2. var. cap. 30. & lib. 3. cap. 45. & lib. 9. epist. 15. Nec non Ecclesiæ Cilmariæ defensorum tutelam sibi adsciverunt, inermem Episcoporum auctoritatem imparem expertæ adversus Potentiorum injurias. Urbanus II. apud Gratianum in cap. Salvator, 1. q. 3. In Gallia, & Germania maxima Ecclesiæ ob opum pinguiorem censum, & Dynastarum

frequentiam deprædationi obviæ, defensores, sive advocatos susceperunt. Concilium Magunt. can. 50. sub Carolo Magno: *Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clerico continuo præcipimus Vice dominos, Præpositos, Advocatos, sive Defensores bonos habere.* Votis PP. annuit Carolus Magnus lib. 15. capitul. cap. 31. & lib. 7. cap. 33. & lib. 3. cap. 62. & legem dedit de advocatis, & defensoribus Ecclesiarum à Principe postulatis, ibi: *Defensores Ecclesiarum à Principe postulantibus, vel divitum ab imperatore sunt postcendi.* Exinde ab Episcopis, & Abbatibus nobiliores Comites lecti, & à Principe postulati fuerunt in Advocatos, & defensores. Trithemius Abbas in chron. Hirsfangensi ita ait: *Sin autem aptum, & utilem advocatum undecunque si placuerit, eligant hic demum Abbate petente à Rege incipiat hanc legem, &c.* Idem in eodem anno Christi 1099. ex privilegio Urbani II. Advocatum autem Imperatorem Romanorum, qui nosse advocatum est præsumimus; propter multiplices tamen eius curas, & dispositiones liceat Abbatibus, & fratribus de familia de Calune eligere, si idoneus inventus fuerit, &c. Sin autem aliâs undecunque libet liceat alium eligere, qui etiam advocatus in presentiam Abbatis, & fratrum juret in sacramento cum familiaribus suis, quod contra privilegia Ecclesiæ non veniat. Hic adductus in presentiam Domini Imperatoris simili modo confirmet. Eandem ob rationem etiam Ecclesiæ Cathedralis alium ab Imperatore acceperunt advocatum, vel potius subadvocatum, ut de Ratisbonensi Ecclesia refert Otho Frising. lib. 1. de gestis Frederici, cap. 58. *Mortuus tunc fuit in Comitatu Regis vir clarissimus Fredericus Ratisbonensis Ecclesiæ advocatus.* Quin etiam Imperatoris ipsi advocatiam Episcopatum in beneficium dedent Ducibus, aut Comitibus, ut Fredericus I. Bertholdo Duci Zeringiæ, ut refert auctor supplementi Frisingensis cap. 21. his verbis: *Regnum Burgundia cum archiepiscopo Arclatenensi, quod Duces de Zeringen, quatuor sine fructu, tantum honore nominis, iure beneficii ab Imperio jamdiu tenuerunt, à Bertholdo Duce excois, præstitis sibi trium Episcopatum advocatiam cum investitura regali, scilicet Lansacensis, Genuensis, Sedunensis.* De his advocatis, sive cathaldis, aut defensoribus agitur in cap. generali, de elect. cap. in quibusdam, de poenis, l. 38. C. Theodof. de Episc. & cleric. ubi Gothof. Legibus Longobard. tit. 10. cap. 1. ibi: *cum Pontificibus, Abbatibus vel Castellibus Ecclesiarum.* Et de his plura adduxerunt P. Gregorius lib. 2. partit. tit. 9. cap. 5. Suarez de relig. tom. 1. lib. 1. de simon. cap. 28. Lambertus de jurepatron. lib. 2. p. 2. artic. 3. q. 4. Cælius, de Eccles. hierarch. q. 2. proœmiali, num. 14. Citronius in parat. ad hunc tit. Bosquetus in notis ad Innocentium III. lib. 2. epist. 122. Altessera de Ducibus cap. 6. peritum. Cujacius in lib. 5. feud. fol. 934. Bignonius in notis ad Marculf. fol. 388. Kochiet de advocatis lib. 1. q. 7. Zypæus ad hunc tit. respons. 1. Burgundius ad consuet. Flandr. tract. 8. Lindembrog. in Glossario, verbo Advocatus. Solorzanus tom. 2. lib. 2. cap. 1. num. 40.

Deinde ut officium ipsorum advocatorum, munia, honores, & jura agnoscamus, sciendum est, Regiæ advocatiam propriam fuisse, quod Ecclesiarum, quæ illâ fruerentur, causæ referbantur ad Palatium Principis, ut ex Marculf. fertur ad Palatium Principis, ut ex Marculf. fertur, & Synodo Ticinensi supra relatis constat. Quare causam de rebus monasterii Laurishamensis

mensis adversus Emericum Comitem, deductam fuisse ad audientiam Caroli refertur in Chron. Laurishamensi. Emericus Comes filius Cancronis, mortuus patre & avia, cernens presatum locum ex parte & modico ad tantam rerum, & fama provecum eminentiam, nitebatur enim sibi proprietatis titulo vendicare; cuius rei actione ad palatium delata, & allegatione utriusque partis audita, iuxta legem Francorum definitum est. Gundelandum Abbatem jure possidere, quod sibi fuerat à fratre sine contradictione collatum. Frat etiam a iudicis advocatiae argumentum, quoddam Ecclesiarum causa etiam apud Comites priores audiebantur, & in elemosyna Regis, id est sine sportulis. Concil. Vernense can. 23. *Ut Comites, vel iudices ad eorum placita, primo viduarum, orphanorum, vel Ecclesiarum causas audiant, & desinant in elemosyna Domini Regis, & postea alias causas cum iustitia rationabiliter iudicent.* Singulare etiam fuit huiusmodi Ecclesiarum jus, ne res alienari possent sine consensu Regis. Concil. Maricon, can. 4. apud Burchardum lib. 3. *Decreti, c. 172. ibi: A Synodo decretum est, & Imperialis auctoritas denuntiat, ne commutationes rerum, vel mancipiorum Ecclesiasticorum qualibet persona sine licentia, & consensu Regis presumat facere.* Synodus Suesion. can. 12. *ibi: Ne commutationes rerum, vel mancipiorum qualibet Prelatus earundem rerum ecclesiasticarum sine licentia, vel consensu nostro facere presumat.* Unde Floardus lib. 1. *histor. Rhemensis* refert, quod Ivo Rhemensis Annites nonnullas res Ecclesie commutavit, sed imperato rescripto Ludovici Pii, ibi: *Sed & imperialia super eisdem commutationibus precepta obtinuit.* Alcester lib. 4. *Dissert. c. 14.*

6. Ut ad officium Advocatorum perveniamus, sciendum est, horum Advocatorum numerus fuisse res Ecclesie curare, tueri, in jure defendere, & usurpata à Prædonibus vindicare. Concil. Mogunt. sub Carolo, can. 22. *ibi: Ut Monachi ad secularia placita nullatenus veniant, & c. nec ipse Abbas sine consilio Episcopi sui, & cum necessitas exigit, tunc per iussione & consilium Episcopi illi vadat; nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi movere presumat, sed quicquid querendum, vel etiam respondendum sit, per advocatos suos hoc faciat.* Adrevaldus lib. 1. *de miracul. S. Benedicti, c. 26.* de prædiis monasterii Floriacensis sitis in pago Aquitanie ita ait: *Advocatus vero una cum Raparnario monacho, ad locum cessionis terre iuxta morem legis adveniens (lege enim Romana, qua ab antiquo utitur Aquitania, vindicatio fiebat in rem præsentem, l. 1. §. 1. ff. si quis ius dicenti, l. non alias, §. sed si postulatur, ff. de iudic.) prædictam vineam ad ius S. Benedicti sua auctoritate revocare nitetur.* Floardus lib. 3. *histor. Rhemensis, cap. 10.* de Hincmaro ait: *Res quoque nonnullas, iuraque Ecclesie, ac mancipia legibus per Advocatos evindicata recepisse reperitur.* Ekkoardus de casibus monast. sancti Galli, *ibi: In vadit loca lege Germanica cum Advocato Episcopus, uti ius erat, homines scilicet juramentis S. Orbomaro vindicantes.* Quare tabulae, & gesta inscribebantur Abbatis nomine, addito fratrum, & Advocati consensu. S. Bernardus epist. 229. ad Episcopum Hosiensem, & alios pro Abbate Latiniacensi ita scribit: *Jam de terris, & bonis Ecclesie quasi distractis, & alienatis, & datis ab eo cognatis suis, coram venerabilibus Episcopis Suesionensi, & Altsiodorensi, Comiteque Theobaldo, Advocato utriusque monasterii, satis responsum est & adhuc responderetur, sic illum de-*

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II,

disse suis, quomodo alienis, id est ad eundem censum vel consuetudinem. Idem epist. 184. ad Eugenium Pontif. *ibi: Veniensis Decanus voluntate Episcopi, & assensu advocati bonam rem pro Ecclesia sua in Ecclesia eadem constituit, bonum est, ut vestra auctoritate firmetur.* Item donationum piarum acceptatio penes Advocatum erat. Ekkoardus de Conrado Imperatore lib. 4. epist. 43. ita ait: *Ille vero, quicquid inibi regi scisci erat, totum in manum Advocati super aram ejus (sancti Galli) tradiderat, & sigillo suo roboraverat.* Denique statum Ecclesie tacentur Advocati, Petrus Cluniac. ad Gaufridum Carnot. Episc. *ibi: Dixit enim Ecclesiam Castridini, quam Cluniacensis olim possedisse dicebatur, à Canonicis ejusdem Ecclesie, ab Advocato Ecclesie Vicecomite Vindocinensi, ab omnibus tandem, qui aliquid juris in eae habere dicebant, tam precibus, quam vi iustitiae extorsisse, & vestre Cluniacensis Ecclesie, cuius juris fuerat, reddidisse.*

7. Et cum in initio pro pietate Magnatum talis advocatia esset merè gratuita, nullis locis vel facris facultatibus in compensationem datis, ut constat ex Molano lib. 2. *de Canon. cap. 46.* postea ea defensio facta est protectori quaestiosa, ut monstrant exemplis quæ collegit Roverius in *illustr. monasterii Reomaensis* not. 164. Pro prædictis ergo obsequiis, & officiis adscripta fuerunt certa stitendia Advocatis, ut refert Trithem. in *Chron. Ursaug.* *ibi: de Advocato monasterii Ursaugensis* ita ait: *Nullum autem servitium aliud ius, aut beneficium sibi pro hoc concedere cognoscit, nisi rituum bannum, & consuetudinariam iustitiam, & legem quam ceteri advocati in aliis liberis monasteriis habent, super furis proterviam, & censuales, & cetera talia, & in illis trium placitorum diebus, in unoquoque unum malmum de frumento, & unum friscingum, & unum siclum de vino, & cetera ad hac pertinentia.* Idem Trithemius in *Chron. Spanh.* Anno Christi 1325. *ibi: Denique ad petitionem præfati Comitis Joannes Willico Abbas prædictum filium ejus Advocatum suum in villa monasterii, quæ Annen. dicitur, constituit, qui duodecim maltra avenæ, & totidem pullos ab incolis ejusdem ville danda singulis annis pro feudo assignavit.* Sapius eisdem Advocatis dabatur in beneficium certa prædia Ecclesie, quæ inde advocatiae dicta fuere. Valdricus Noviomentis in *Chron. Camerac. lib. 2. cap. 98. ibi: Sub hac etiam specie ipse Hervardus advocatias aliquantarum villarum quasi pro defensione presumpsit: sed plus quam inimicus prædo assiduis exactionibus devastavit.* Conradus de Favaria de casibus monasterii sancti Galli. *cap. 8. ibi: Cum advocatia, aliæque quamplurima feuda nostra cessissent jurisdictioni Abbatis Urspergensis in Frideric. l. ibi: Recipiendo nihilominus in Ecclesia Ducatus marchis. comitatus, advocatias, moetas, telonea, ceterorumque regalium, quæ possident, sumant.* Et Regibus etiam dona annua pro advocatia mittebantur, ut refert Ratpertus de casibus monast. S. Galli. *cap. 3. ibi: Præterea Rex piissimus Ludovicus in eadem charta conscribi iussit regia dona, sibi metipso secundum consuetudinem aliorum monasteriorum pro securitate prædictorum quotannis ventura, id est duos cavallos, & duo scuta cum lanceis.* Et quidem melioribus saculi: gratuitam advocatiam Ecclesie Regis impenderunt, sed posterioribus ejus nomine annonas Ecclesie imponere non dubitarunt, ut prodit Abbas Urspergensis ubi supra, pagina 371. *ibi: Narratur, quod olim præfate Grimone Canonici Ursperg. elegerunt sibi*

in Rectorem quendam de fratribus suis hominem nullius intelligentia, aut valentia, adeo hebetis eloquentia, ut nec verbum de ore ipsius, nisi cum difficultate posset intelligi: cumque talis Prelatus coram inclite recordationis Imperatore Frederico comparuisset, ipse cum tota Curia sua sprexit eundem odioque sui nobili viro Degenharde de Helystein procuratori suo per omnia regalia pradia Suevie injunxit, quatenus personaliter accederet ad Ecclesiam Urspergensis. Et de voluntate fratrum in pradiis ipsorum censum, extra Abbatiam, & Grangias, imponeret annum, qui sibi pro advocatia, & defensione solveretur, ut videlicet quilibet mansus rusticorum pradiorum solveret miltare unum avena, ut Officiales sui equis ipsorum ex hoc haberent annonam, & ipsa Ecclesia sine prejudicio omnis gravaminis Imperialem haberet defensionem. Immo aliquando pecuniarium subsidium ab ipsis Ecclesiis petebant, ut refert Guillel. Brito lib. 1. Philip.

*Tempore cuiusdam guerra Rex prodigus aris,  
Cum res exigeret numerare stipendia multis,  
Clerum Rhemensis petiit, scriptoque rogavit,  
Ut sibi subsidium ferret, quo gravior illi  
Adstantes vellet sumptus impendere gratis,  
Ut solet Ecclesia Patronos saepe juvare.*

Et labente disciplina, res eo prorupit, ut ab Ecclesiis advocati, tanquam a propriis rusticis, & colonis crebriores annonas, & census passim extorquerent. Urspergens, in Philip. Caesar. ibi: *Nomine advocatie Monachorum fundis annuum tributum indixit:* atque ita talis advocatia degeneravit in praedationem, ut constat ex Adrevaldo lib. 2. de miraculis S. Benedicti, cap. 24. Anonymo ei sub iuncto lib. 4. cap. 6. & aliis, quos dinumeravit M. Magerius de advocat. armat. cap. 1. a num. 199. & Cochier in vindiciis libert. eccles. part. 2. cap. 6. a num. 9. & cap. 8. quibus modum imposuerunt Eugenius II. in Synodo Rhemensis celebrata anno 824 Canon. 5. ibi: *Auctoritate Apostolica prohibemus, ut nullus Advocatus, praeter jus & beneficium antiquitus aliquid sibi arripere, vel usurpare praesumat; quod si quis contra hoc attentaverit, Christianorum careat sepultura:* Et Lucius III. in praesenti, dum prohibet advocatis, ne quid ab Ecclesiis praeter antiquos, & moderatos redditus ab initio institutos exigerent: unde Innocentius III. lib. 2. regestr. 14. epist. 123. increpat Comitem Nivernensem, quod nimis gravaret monasterium Verreliacense, his verbis: *[Abbas & Conventus Verreliac. sua nobis infi-*

natione monstravit, quod cum nobilis vir Comes Nivernen. ab eorum monasterio pro ipsius custodia duas procuraciones, in Pascha videlicet, & festo beatae Mariae Magdalena exigeret annuatim, & in receptione ipsarum ipsum monasterium enormiter aggravaret, maximam militum & servientium multitudinem constipatus: iidem mille quingentas marchas argenti super procuracionibus illis ei tali conditione mutuò concesserunt, ut in unaquaque praedictarum solennitatum, si Verreliacum accederet, quinquaginta libris Altkiffodoren. moneta pro moderata esset procuracione contentus, nec plus pro illa posset exigere, donec ipsi monasterio redderet praetaxatam pecuniae quantitatem. Verum nunc, sicut dicitur, ut dictum possit monasterium in praefatis procuracionibus aggravare, terra suae quantam indixit pro eadem pecunia perfolvenda. Cum igitur jus suum iniuriam convertere non debeat idem Comes, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus si forsitan saepe dictum monasterium per immoderatam procuracionem gravare voluerit, vos ipsius immoderantiam, gratia, odio, & timore postpositis, redigatis ad iustum, sublato appellationis obstaculo, moderamen, contradicteores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.] Ubi Innocentius dixit quantam quasi per vicos quantam, quia a singulis vicatim collecta illa exigebatur, ut exponit Bosquetus in notis ad ipsam epist. 123.

Tandem sciendum est, ipsos Patronos Ecclesiarum plerumque appellari Advocatos, ut in cap. sequenti, & supra in cap. quia clerici: tum quia ipsi etiam defendebant Ecclesiam; tum quia plerumque ipsi patroni suae potestatis fiduciam non habentes, advocatiam ipsarum Ecclesiarum ab ipsis Imperatoribus, seu Regibus obtinebant: ex Alberto Miraeo probat Bosquetus in not. ad distam epistolam 122. & ita Patronus, qui iure ordinario Advocatus natus ratione Juris patronatus erat, efficiebatur Advocatus datus propter advocatiam a Principe impetratam. Praesentem autem textum accipio de Advocatis datis, textu verò in d. c. quia clerici, & in cap. sequenti, de Advocatis natis, id est, fundatoribus ipsarum Ecclesiarum, inter quos, & datos illud veratur discrimen, quod advocatia data personalis est, nec ad haeredes transit; advocatia verò nata cum ipso Jure patronatus ad haeredes transit, juxta supra tradita in cap. 1. hacten.

## CAPUT XXIV.

Idem (a) Norwicensi Episcopo.

CUM autem (b) Advocatus Clericum unum idoneum Episcopo praesentaverit, & postulaverit postmodum, eo non refutato, alium aequè idoneum in eadem Ecclesia admitti, quis eorum alteri praeferatur, in iudicio Episcopi credimus relinquendum (c) si laicus fuerit, cui jus competit praesentandi. Verum si collegium, vel religiosa (d) persona praesentationem haberet, qui prior est tempore, prior iure merito videtur.

NOTÆ.

1. (a) *Norwicensi.* Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. ubi additur pars capituli tua nos; unde cognoscitur in hoc

textu referri partem textus in cap. tua nos II. de iurejurand. ubi praesentem inscriptionem exposui.

(b) *Advocatus.* Id est Patronus, ut proximo Commentario dixi.

Lascu

2. (c) *Laicus fuerit.* Qui variè potest, & ita unum post alium, præsentare, ut probavi supra in cap. 5.
- (d) *Ecclesiastica persona.* Quæ variare non potest, & ita prima præsentatio posterior est, ut in dict. cap. 5. probavi.
- 3.

## CAPUT XXV.

(a) Clemens III.

NOBIS fuit, &c. Præterea quæstivisti à nobis, si aliquis efficiatur solâ Ecclesiæ constructione patronus, vel si ad electionem Plebani sit cum Clericis admittendus, seu ab ipsa repellendus omnino, tamen de longa consuetudine allegaverit se electioni interesse debere. In hujusmodi siquidem tale damus responsum. Quod si quis Ecclesiam cum assensu (b) diocesani Episcopi construxerit, ex eo (c) Juspatronatus acquirit. Cæterum in conventuali Ecclesia non electioni plebani faciendæ, sed jam factæ honestius patroni postulatur (d) assensus, nisi patronatus aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas debeat interponere electioni tractandæ. Secus tamen est in capella, in qua unus Presbyter instituendus à Patrono quandoque eligitur, & pro institutione habenda loci Episcopo (e) præsentatur. Pro fundatione quoque ipsi honor (f) processione fundatori servatur: & si ad inopiam vergit, ab Ecclesia illi modeste (g) succurritur, sicut in sacris Canonibus est constitutum.

## NOTÆ.

- (a) *Clemens III.* In secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. ubi reperitur textus hic, legitur *Alex. III.* sed malè; nam prior pars hujus textus, quæ reperitur in cap. nobis fuit, de simonia, tribuitur Cælestino III. & ita dubium tantum est, an Clemens, vel Cælestinus III. sit hujus textus auctor? & credo Clementem III. esse; cui tamen Prælati referribat, non constat: nec audiendus est Joan. Camus in *tabul. Cebet. Thebani*, qui vult textum hunc esse Clementis I. ut jam eum reprehendens notavit Turtureus in *facell. sac. cap. 1. num. 10.*
- (b) *Diocesani.* Non enim licet Ecclesiam construere sive Episcopi proprii licentia. Concil. Chalcedon. *can. 4.* ubi cavetur, nullam Ecclesiam sine consensu Diocesani constructi debere: unde deducta est novella 118. Justiniani, *cap. nemo, de consec. dist. 1.* ibi: *Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, & atrium designet.* Concil. Wormat. ibi: *Quicumque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, & consensum, & voluntatem Episcopi habuerit, in cuius parochia licitum sit.* Probat Bosquetus ad *Innoc. III. lib. 3. registr. 15. epist. 7.* & infra dicemus in *cap. 1. de consec. Eccles.* immò & apud Gentiles, si statua ponenda erat in alieno territorio, desiderabatur licentia municipii, seu loci, ubi erigebatur, ut notavit, & duabus veteribus inscriptionibus probavit Ambrosius à Morales in *antiquit. Hist. fol. 30.* Ut ergo Juspatronatus acquiritur ex constructione Ecclesiæ, necessarius est consensus Episcopi, *cap. pia mentis, cap. considerandum 16. quest. 7.* licet nihil intersit, quod postea superveniat. *Selua de benef. 1. p. quest. 6. Corral, eadem tract. 4. p. cap. ultim. num. 25.* & in dubio præsumi intervenisse, probat Valensis de *beneficiis lib. 4. tit. 4. num. 18.*
- (c) *Patronatus.* Tribus modis Juspatronatus in Ecclesia acquiritur, constructione videlicet, donatione, vel loci concessione, juxta versum illum vulgarem:  
*Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*  
*D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.*

Quibus munificentia modis Juspatronatus acquiritur, & Patronus fit quasi Dominus, vocaturque Dominus in *cap. Abbatem 18. quest. 2. l. 1. C. de Colonis Thracens. lib. 13. l. unic. Cod. ne Colonus inscio Domino, cod. lib.* Et licet non desint, qui docuerunt, ad acquirendum Juspatronatus tria illa copulativè desiderari, scilicet fundi donationem, constructionem, & dotem, ut tenuerunt Rochus à Curte de *Jurepatron. in princip. num. 3.* & verbo *Ecclesia, quest. 2.* Gregorius Lopez in *l. 1. Gloss. 3. tit. 5. part. 1. Moneta de commut. ultimar. volunt. cap. 10. num. 202.* Garcia de *benef. part. 5. cap. 9. num. 44.* tamen contraria sententia verior est, videlicet ex sola constructione, vel donatione, aut soli concessione acquiri Juspatronatus, ut pluribus relatis docent Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. cap. 12. num. 61.* Canisius in *cap. 3. hoc titul. Valensis de benef. lib. 1. tit. 4.* Nec contrarium probat Concil. Trident. *sess. 25. de refor. cap. 9.* ubi ajunt PP. Juspatronatus acquiri fundatione, & donatione Ecclesiæ; quia non ideo excludunt Juspatronatus, quod acquiritur ex constructione, sed potius illud comprehendunt sub verbo *Fundatione*, ut probatur ex ipso Concilio, *sess. 14. cap. 12.* Primo ergo modo acquiritur Juspatronatus constructione, sive quis Ecclesiam in proprio solo suis sumptibus ædificet, *cap. Abbatem 18. quest. 2.* sive in alieno fundo, aut si Ecclesiam penitus dirutam reedificaverit, *cap. pia mentis, cap. filius 16. quest. 7. cap. monasterium 16. quest. 2. cap. 1. hoc titul. in 5. compil. ubi Honorius III. Mariæ Imperatrici Constantin. ita rescribit: [Audito per te, ac alios fide dignos, quod monasterium Pacinacense Græcarum monialium tunc destructum, Domini diocesani accedente consensu, de propriis bonis reedificaveris, & dotaveris, ac moniales eisdem Ecclesiæ Romanæ, cui nullam exhibebant obedientiam, feceris obedire; tuis nos supplicationibus inclinari, auctoritate præsentium mandamus, ut super Jurepatronatus ipsius monasterii nemo te audeat temerè molestare.] Hoc tamen secundo casu, si alius jam erat Patronus, amittit Juspatronatus, quia Ecclesia reedificata nova Ecclesia*

est, nec in ea servatur pristinum jus, argumento legis *qui res. §. arcam. ff. de solut.* Barbofa *d. cap. 12. num. 31.* Secundò acquiritur juspatronatus, si ad Ecclesie constructionem fundus donetur, cujus plenum dominium in Ecclesiam transferatur, *d. cap. Abbatem, d. cap. piamentis.* Per dotationem tandem acquiritur juspatronatus, si ministris Ecclesie, & ejus luminaribus congrua dos constituitur, *d. cap. filiis:* ex simplici verò donatione, vel legato, nisi fiat pro dote tacite, vel expresse, non acquiritur juspatronatus, quia simpliciter legans, vel donans, potius benefactor, quam dator dicitur: jus autem patronatus non benefactori, sed datori tribuitur *in d. cap. filiis,* ut docent Barbofa *ubi supra, num. 50.* Valensius *dist. 4. num. 18.* qui agit de prescriptione, & privilegio, & quomodo illis acquiratur juspatronatus: & licet aliqui voluerint, foundationis, dotationis, aut constructionis tempore interponi debere cautionem de reservando juspatronatus, ut aliquo ex illis modis acquisitum censeatur, argumento textus *in cap. significavit 41. de testibus,* verius tamen est, ad præsumendam hujusmodi reservationem satis esse, si consensus Episcopi Diocesani probetur, quasi qui eum, antequam ulla expensas faceret, necessarium putavit, eo ipso cogitasse de nomine, & honore patronatus videatur, ut decisum fuisse in sacra Rota refertur *decis. 5. de juspatronatus,* in antiquis.

4. Et rectè ex hac munificentia constructionis, foundationis, sed dotationis Ecclesie in remunerationem juspatronatus conceditur; nam eadem ferè ratione olim obtinuit, ut quicertamina ad civitatis, vel municipii decus, & oblectamentum instituerent, sibi, hæredibusque possent illud jus excipere, ut ludis præessent tanquam agonotheta, cujus rei vestigium extat *in l. annuam, l. liberti 21. §. 3. ff. de annuis legat. in l. Septimia, ff. de pollicit.* Moris etiam fuit, si quis statuam in templo poneret, aut in foro collocaret, opusve publicum faceret, nomen donantis ibi inscribi, *l. Tria 38. §. final. ff. de auro & argent. l. 2. & ult. ff. de operib. publicis, Novell. 67. Justin. Cicero 6. in Verrem. Tacitus lib. 3. annual. Suetonius in Galba, cap. 2. & si privatus in opere publico, quod publicè pecunià factum erat, aliquam de suo addidisset summam, licebat ei titulum nominis, & inscriptionem adjicere, *l. ult. §. 1. ff. de oper. public.* quod demonstrant innumeræ antiquæ inscriptiones apud Brissonium *lib. 8. de form. pag. 728.* Gruterum *fol. 93. & 128.* & qui novam adem, vel restitutam dedicassent, nomina eorum in illius fronte inscribebantur, ut hac immortalis memoriæ gloriâ homines ad templorum dedicationem allicerentur. Testis est Arnobius *lib. 6. advers. Gentes, ibi: Tempora,* inquit, *qua tollis, sunt aureis & sublimibus elata fastigiis, auctororum inscriptionibus comprobantur.* Illustrat Brissonius *lib. 8. de formul. pag. 728.* Inde etiam PP. Ecclesie Hispaniæ, ut fideles ad Ecclesiarum constructionem allicerent, jussit eorum nomina in eminentiori Ecclesie loco figi, & æternæ saluti eorum consulentes, voluerunt, ut si fundatores superstites essent, eorum nomina ante altare tempore Missæ recitarentur, & pro eis oraretur: quod si jam decessissent, cum nominibus Defunctorum suo ordine recitarentur, *can. 19. Concil. Emerit. ibi: Eorum nomina, à quibus Ecclesie constat esse constructas, vel quid iis Sanctis videntur, aut visi sunt contrulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: quod si Defuncti, cum fidelibus recitentur suo ordine.* Rectè ergo Ecclesia juspatrona-*

tus constructoribus, & datoribus concessit, ut hoc præmio fideles invitati Ecclesiarum constructionem, & reedificationem curarent.

(d) *Assensus.* De quo exaudiendi sunt textus *in cap. Abbatem, 4. 18. q. 2. ibi: In monasterio illam volumus ordinari Abbatem, quem sibi de sua congregatione, & monachorum electio, & possessio Dominus poposcerit ordinari.* Et *cap. decernimus 16. quest. 7. cap. principali, 63. dist.* Notari *in cap. Massana, cap. sacrosancta, de elect.* nisi aliter in ipsa fundatione cautum fuerit, videlicet ut presentatio ad patronum spectet, ut in monasterio Augustodunensi, quo à Brunichilde Regina constructo, jus eligendi Abbatem Regi datum fuit, *cap. hinc est etiam 16. quest. 1. cap. 1. de re judic. in 3. collect.* Innocent. III. *lib. 1. registr. 13. epist. 21. ibi: Tertia verò pars integra per solviam Ecclesia construetur, quam idem Marchio competenter dotavit, ut in ea duodecim Canonici commode possint cum suo Præposito deservire, qui pro tempore canonicè debeat presentari per eum: ac successores ipsius.* Notarunt Bosquetus *ibi, Altestera de Ducibus, & Comitibus, cap. 9.* Cujus autem licentia tunc delideretur, late exponunt Tamburini, *de jure Abbat. tom. 2. dist. 7. quest. 1. & 2.* Barbofa *de potest. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3.*

(e) *Presentatur.* Quem juspatronatus effectum exposuit *in cap. 4. hoc tit.*

(f) *Honor processionis.* Consonant textus *in cap. piamentis, ibi: Præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil idem ibi proprii juris habitaris.* Et *cap. Frigidianus, ibi: Ut nihil fundator ex hac basilica noverit vendicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur; 16. q. 7. D. Gregorius lib. 12. epist. 10. Enunciaturus ex more nihil illic conditori juris alterius jam deberi, nisi processionis gratiam, qua Christianis omnibus in commune debetur.* Quæ verba difficillia valde sunt; nam quid speciale per honorem processionis concedatur PP. Patrono? siquidem a jure expressè, omnibus fidelibus hoc jus patronis commune esse. Glossa *in dist. cap. piamentis, verbo Processionis,* ea verba accipit, & exponit processionis aditum pro jure presentandi presbyteros, quia Patroni habent jus presentandi clericos, ut ab Episcopis instituantur. Sed hæc Glossæ sententia refellitur tum ex supra adductis *in cap. 4. ubi probavit temporibus Gelasio, illius textus auctoris ad hunc patronis factam non fuisse gratiam presentandi presbyteros ad Ecclesias, in quibus juspatronatus habebant: tum quia aditum illum processionis omnibus Christianis esse commune, faretur Pontifex: igitur non de hoc jure speciali patrono competenti loquitur. Quare eâ sententiâ omisâ, aliter verba illa exposuit Franc. Hallier. *de sacris elect. sect. 8. art. 2. §. 1.* supponit enim, processionem sæpius accipi pro prerogativa honoris; quo in sensu Licinius Rufinus *in leg. Imperator. ff. de donat. inter. Imperatorem Antoninum constituisse refert, ut ad processum viri uxori ei donare possit; & Imperatores in l. sacrum. Cod. de Consulibus, procedendi verbo prerogativam exhibendi spectacula dixerunt; unde dum Gelasius aditum processionis Patrono concedit, exponit Hallerius, id est locum honoratiorem, & sedem in Ecclesia, prerogativamque accedendi ad oblationem in altari faciendam, juxta tradita supra *in cap. 1. de vita & honest. cleric.* Unde cavetur *lib. 1. Capitul. Caroli, c. 148. Ut Episcopi provideant, quem honorem presbyteri pro Ecclesiis suis Senioribus tribuant.* Addit etiam Hallier, forsitan prerogativam illam à Gelasio Patrono concessam in**

eo consistere, ut obviam ei ab omnibus fidelibus cum primū ipse ad aedem sacram accederet, procederetur; quam prerogativam Patronus aliquando vendicasse, constat ex eo, quod Theobaldus Comes Carnotensis ad monasterium S. Petri in Valle proficiens, *Se (inquit Fulbertus epist. 21.) in monasterium recipi cum processione præmandat.* Inde Episcopum multitudine clericorum stipatum ad Ecclesiam procedere dicitur à B. Augustino *lib. 22. de civit. Dei. cap. 8.* Sidonio *lib. 5. epist. 17.* Sulp. Severo *dialog. 2. cap. 11.* notavi in *cap. auditis, de prescript.* Eandem Hallierii sententiam sequitur Altheira de *Ductibus cap. 17. ad medium.* Cironius in *parat. Adhuc* tit. aditum processions accipit processu ad supplicationem, seu processione solennem, cui omnes Christiani miscebantur, sed in varios cœtus distributi, ut probatur ex D. Gregorio *lib. 11. epist. 2. ubi: Erat Litania alia Clericorum, alia Monachorum, alia virorum, alia faminarum, alia monialium, alia infantium, & pauperum.* Unde dedit Cironius, quod cum Patroni fundatores Ecclesiarum intendent peculiarem supplicationem, seu Litaniam ab aliis separatam habere, Gelasius eos in Litaniam cæterorum fidelium redegit. Sed neutra ex his expositionibus placet, nam temporibus Gelasii per annos 592, non ita pax Ecclesiæ data erat, ut publicis processibus, & Litiis uti liceret, & semper perobscurum est, quod Gelasius affirmat, Patrono aditum processions concedi aliis fidelibus communem, unde nullum honorabilem gradum, aut honoratorem sedem, vel graviolem locum illi concedit; sed id tantum illi permittit, quod aliis fidelibus communiter conceditur.

7. Quare his sententiis omissis, ut quid in hac perobscura Gelasii epistola sententio, proferam, suppono processione in ea epistola non accipi pro supplicatione; seu Litania, quam vulgò nos dicimus, *Processionem*; sed pro collecta, seu synaxi in ipsa Ecclesia faciendâ; non pro incessu, seu deambulatione extra templum; sed pro accessu ad ipsam Ecclesiam, ut etiam accipitur in *Can. 17. Synodi Laodic. ubi: In processionibus Psalmos non connectere, id est, ex diversis versibus & sensibus libri unum canticum minime conjungere, sed singulorum Psalmorum ordinabiliter fieri lectionem.* Nam ibi processiones non sunt solennes illæ deambulationes, seu lustrationes, quæ modò fiunt festi alicujus gratiâ, sive publicæ necessitatibus causâ, quas vulgò vocat supplicationes, rogationes, processiones; sed conventus, & cœtus populi in Ecclesia, ut ex Græco textu ejusdem Concilii perspicuum est, quod non oportet connectere Psalmos in conventibus. Ubi vides in illa veteri interpretatione Concilii, processiones esse synaxes, id est, cœtus seu conventus: quod etiam ex sequentibus liquet: *Sed ad unumquemq. Psalmum interjecto spatio lectionem fieri.* Nam in ipsa Ecclesia, non verò inter eundem, lectiones fiunt. Quare optimè Theodorus Balsamon totum hunc Canonem explicat de conventu Ecclesiastico, in quo divina officia peraguntur: & ita accipiendus est locus epistolæ 81. S. Leonis Papæ ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum: *Propter quod remeanti filio Possidonio Presbytero hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris processionibus, atq. ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos missus, quid in omnibus Apostolica auctoritatis teneremus, agnovit.* In hac enim epistola agitur de *Mit. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.*

sarum celebratione, & Clericorum ordinatione; & verbum *Procedere*, est ad Ecclesiam convenire, juxta antiquam loquendi formam S. Augustini *lib. 22. de civit. Dei. c. 8. Inde ad me curritur, unde se debam, jam processurus.* Nempe in Ecclesiam. Unde paulò post subjungit; *Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia.* Ennodius in vita S. Epiphani. Tincensis Episcopi: *Procedendum censuit omnibus in quolibet aëris errore maturius; ita ut vigilarum formam lectoribus antecedens ad Ecclesiam praberet Episcopus.* Ubi vides, procedere esse ad Ecclesiam ire. Sanctus Hieronymus *epist. 22. c. 1. ad Eustochium: Rarus sit egressus in publicum, Martyris tibi quærantur in cubiculo tuo: nunquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.* Redarguit virginem, quòd sapius, quam par esset, ad templa Martyrum se conferret. In ea enim desiderabat rarus excursus; cum procedendi, ad Ecclesiam videlicet, causa deesse non posset, si quando necesse esset, nempe verbi Dei audiendi; aut Eucharistiæ sumendæ gratiâ, id faceret. De quâ processione accipiendus est Tertul. *lib. 2. ad uxorem*, in illis verbis: *Si procedendum est, nunquam magis familia occupatio obvenit.* Non enim agit ibi de circutionibus illis, quæ vulgò processiones appellantur, quæ sanè tempore Tertulliani nondum erant in usu, cum tunc Christiani in latibulis, & locis occultis facta peragerent; Paganorum metu: quare Tertul. accipiendus est de processu, seu accessu ad Ecclesiam, juxta alium locum ipsius Tertul. *de cultu faminarum*, in illis verbis: *Vobis autem nulla procedendi causa, non trivica, aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificiū offertur, aut eis sermo administratur.* Ubi procedere, esse ad Ecclesiam accedere, jam exposuerunt Menardus in *not. ad Sacrament. D. Gregorii, fol. 178.* Jacob. Ebeillon *lib. de processionibus, c. 1.* Theophilus *rom. 15. in Heteroel. punct. 8.* Hallucinantur enim, qui his locis Tertulliani solennes processiones nostratibus confimiles accipiunt, ut Ludovic. à Cerdâ *ibi & cap. 9. advers. num. 5.*

Deinde sciendum est, olim Constructores Ecclesiarum in propriis prædiis, & possessionibus processione hanc fieri; publicumque conventum, seu fidelium cœtum ambuisse, *cap. certum, de consecr. dist. 1.* ubi ita D. Gregorius Episcopo Sorano rescribit: *Certum est quidem, & nostris præceptionibus constitutum, ne quis in Ecclesia aut in Oratorio, quod Sedis nostræ non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret impendi: nec conditores furtivis surreptionibus contra regularum statuta proflirent. Sed quia Megecia spectabilis femina petitorii nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse, frater charissime, humanitatis intuitu, quod priorâ statuta non maculet funeribus, & sepulchris, tantum in comprehensis petitorio locis mysteria noveris pro solennitate præstanda: ut Defunctorum nomine solummodo divina celebrentur officia, publicâ frequentatione, & processione cessante.* Luitprandus in vita ipsius Gelasii, *ibi: Multi Constructores adificabant, & sacris processionibus instituebant.* Et Imperator Justinianus agens de ipsis Patronis in *Novell. 123. c. 32.* statuit, ne laici faciant publicum processum. His ergo suppositis credo, sensum Gelasii esse, ut Julius, qui in possessione sua Ecclesiam construxerat, & consecrari desiderabat in honorem S. Aviti, post consecrationem ab Episcopo impensam, nihil proprii Juris in ea retineat, seu habeat, ultra aditum processions, qui

omnibus Christianis in commune debetur, id est, quod sicut in aliis Ecclesiis, ubi Missæ publicæ dicebantur, omnibus Christianis patebat aditus processiois, id est, accessus ad synaxin, cœtum, seu conventum; ita & Julio ut Patrono competere aditus processiois, id est accessus, & facultas procedendi ad synaxin, & Missæ sacrificium audiendum in Ecclesia in propria possessione constructa: notavi enim supra in capit. 4. fideles Ecclesias pro solatio proprio, & familiæ suæ, ut ibi à Presbytero Missæ sacrificium celebraretur. In ea ergo Ecclesia ita constructa concedit Gelasius Patrono aditus processiois, id est facultatem accedendi ad eam synaxis causâ, ut in aliis publicis Ecclesiis omnibus Christianis competit, & debetur: non tamen Patronus potest publicum processum in ea facere, *ex dict. capit. certum*; quia illi tantum aditus patet procedendi ad ipsam Ecclesiam, ut aliis fidelibus in publicis Ecclesiis competit.

9. His animadversis pro expositione textuum in d. cap. pia mentis, dict. cap. Frigentius, ut ad verba præsentis textus accedamus, nec in eis disertius expressit Alex. III. honorem processiois Patrono debitum; tantum enim ait, pro fundatione Ecclesiæ Patrono honorem processiois servari; sed non exprimit modum, seu formam ipsius honoris, an videlicet, ut eo accedente ad Ecclesiam, cæteri fideles procedant, ut exponere Hallerius: an verò ut in processiois, seu supplicationibus

publicis locus honoratior illi debeatur; ut omnes repetentes hic, & scribentes de Jure patronatus, congesti à Barbosa in præfenti exponunt. Existimabam ego, Alexandrum III. agnovisse difficultatem veterum Canonum circa hanc processiois prærogativam, & noluisse exprimere id, in quo consisteret aditus processiois; sed tantum honorem processiois Patrono servari debere, juxta veteres Canones statuit. Hodie tamen non est recedendum à communi acceptione horum verborum, & juxta eam interpretationem honoratior locus præstandus est Patrono in processiois, & cæteris actibus in propria Ecclesia, veluti ad thurificationem, pacem dandam, & similia. Illud non omittendum est, quod qui Juspatronatus in aliqua Ecclesia, aut capella acquisivit, non ideo jus sepulture privative quo ad alios habet, ut docent Barbosa lib. 2. jur. eccl. cap. 10. num. 9. Murga tom. 1. disquisit. tit. 4. disquisit. 11. per tot.

(g) Succurritur. Cap. contra, cum sequent. 16. q. 7. Innocentius III. lib. 3. regestr. 15. egi. 86. Illustrant ultra congestos in præfenti à Barbosa in collect. & select. Ferro Manrique de præced. q. 34. num. 2. Mazius in patrocin. debit. q. 4. num. 5. Solorzanus de jure Indiarum, tom. 2. lib. 2. cap. 24. num. 105. Coita de remed. subsid. remed. 106. ill. 2. Carleval, de judiciis lib. 1. tit. 3. disp. 20. Olea de cess. jur. tit. 3. q. 8. num. 28. Landmeter, de veter. cleric. & mon. cap. 2. lib. 2. p. 1. Canticus in præfenti.

## CAPUT XXVI.

Innocentius III. V. Rothomag. (a) Archiep.

PER nostras postulasti litteras edoceri, utrum clericus aliquis ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, (b) seipsum, si idoneus est, valeat præsentare. Cum igitur nullus se ingerere debeat ad ecclesiasticæ Prælationis officium, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nullus se possit ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studii meritis adjuvetur. Datum Romæ, &c. III. Idus Junii, P. N. Anno primo.

### NOTÆ.

1. (a) **R**othomagensi. Ita etiam legitur in c. 1. hoc tit. in 3. collect. & in epistolis ipsius Innocentii III. editis à Sireto, fol. 106. De Rothomag. Diœcesi nonnulla adduxi in c. 24. de rescriptis.
2. (b) **S**eipsum. Cap. final. de instit. tum quia tanquam ambitiosus est repellendus, cap. in scripturis 8. q. 1. l. si quomquam, C. de Episc. & Cleric. tum quia inter præsentantem, & præsentatum rea-

lis debet dari distinctio, d. cap. final. de instit. si tamen plures sunt Patroni, potest unus ab alio præsentari, & præsentationi de se factæ consentire. Glossa in cap. consuluit, hoc tit. imò etiam unicus sit, per liberam, & spontaneam institutionem Episcopi ab eo beneficium obtinere, preces emittendo, ut sibi provideat de tali beneficio, ut pluribus relatis docet Barbosa in præfenti, num. 3. Potest etiam Patronus filium proprium præsentare, ut probavi in cap. quia clerici, hoc tit.

## CAPUT XXVII.

Idem Conventrensi (a) Episcopo.

CUM propter laicorum discordias non debeat Ecclesiis præjudicium generari, grave ingerimus, & indignum, quod (sicut nostro est Apostolatus referatum) occasione dissensionis, quæ de Jure patronatus vertitur inter eos, Ecclesiæ plus debito remanent Rectoribus viduata, quod in ipsorum grave dispendium noscitur redundare. Verum quia secundum Apostolum instantia nostra communis est omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, volentes his, quæ præmissimus, ex debito Pontificalis officii obviare,

f. t. p. A. l. m. quat. si de jurepatronatus quæstio emerferit inter aliquos, & cui competit, infra quatuor menses non fuerit diffinitum, ex tunc Ecclesiam ipsam ap. rem. de persona non differas idonea ordinare: ita quod illi ex hoc non debeat in posterum præjudicium generari, qui jus evicerit patronatus. Datum Later. 3. Januarii.

## NOTÆ.

(a) *Conventrensi.* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & in ipsis epistolis Innocentii editis à Guillelmo Sirlero, fol. 450. De Conventrensi Diocesi Angliæ egi in c. 2. de rescriptis, & Commentarium hujus textus dedi supra in cap. eam te.

## CAPUT XXVIII.

Idem *Archid. Cancell. & Decano* (a) *Altissiodoren. Parisien.*

Cum dilectus f. Magister Vv. de Picerei pro seipso, & Magister H. de Fernemaco pro Decano de Ameli pro Ecclesia de Bardevill. invicem litigarent, illis dil. f. G. sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardin. concessimus auditorem, in ejus præsentia idem magister proponendo monstravit, quod cum olim ven. f. n. (b) Ostien. Episcopus legationis officio fungeretur in partibus Gallicanis, & Vv. de Montibus insignisset caractere clericali, dil. f. Archid. Carnoten. mandavit, ut Ecclesiam, quam in Archidiaconatu suo primò vacare contingeret, donationi suæ (c) reservare curaret, inhibens, ne alicui conferret eandem, in qua disposuerat eidem Vv. non habenti beneficium providere. Processu denique temporis, cum in morte O. quondam Decani Alneoli Ecclesia de Borovilla vacasset, idem Archidiaconus contra mandatum ejusdem Legati, tam ipsam, quam ipsum Decanatum G. f. n. concessit, qui aliam Ecclesiam in eadem Diocesi noscitur habere. Quod cum ad prædicti Legati notitiam pervenisset, eos ad suam præsentiam convocavit, & de prudenti consilio Archidiaconi factò cassato, antedictam Ecclesiam sic vacantem præfato Vv. concessit. *Et infra:* Vacante verò quadam præbenda in Ecclesia S. Marci Carnoten. cui ipsum Magistrum G. contingeat de jurepatronatus, Episcopus piâ providentiâ, seu providâ pietate considerans, quod præbenda ipsa, cui cura animarum non erat annexa, magis sæpedito Vv. congrueret, quam eadem Ecclesia de Brachavilla, quæ Pastore assiduo indigebat, Ecclesiam ipsam vacantem eidem Magistro ad præsentationem dicti Archidiaconi, nullo contradicente concessit, & præbendam illam præfato clerico assignavit. Unde ipse magister supplicabat, eandem sibi Ecclesiam confirmari, utpote quam canonicè, ac etiam ad præsentationem veri patroni, se dicebat adeptum. Econtrâ procurator Decani respondit, quod etsi dictus Legatus donationi suæ reservari mandaverit primò in Archidiaconatu Carnoten. Ecclesiam vacaturam; circa tamen prædictam Ecclesiam hoc facere de jure non potuit, quia talis potestas sibi minimè competeat, cum præsentatio clerici ad illam Ecclesiam, non tanquam clerico, sed (d) quasi laico ratione patronatus, non jure Archid. pertineret. Unde cum inhibitionem ipsius ob hoc idem Archidiaconus custodire minimè teneretur, alium ad eandem Ecclesiam de jure potuit præsentare; ac præsentatio ejus debet, ex quo idonea facta est, firma censi. Nos igitur his, & aliis, quæ coram eodem auditore fuere proposita, nobisque relata, fideliter per eundem diligentius intellectis, attendentes, quod etsi præfatus Archid. memoratum Decanum, tanquam laicus ad illam præsentasset; quia tamen ipse Decanus per diocesana Episcopum admittus non fuit, sed alius ab eodem Archidiacono præsentatus, à diocesano fuit Episcopo institutus, juxta statutum bon. m. (e) Alexand. PP. Prædecessoris n. non primus, sed secundus jus est in eadem Ecclesia assequutus, etsi memoratus Archidiaconus præfatum præsentavit Decanum; quoniam in eo, quod tanquam clericus faciebat, suberat jurisdictioni Legati: unde quia postquam idem Legatus donationem ipsius Ecclesiæ sibi decreverat reservandam, ad eam tanquam clericus non potuit quempiam præsentare, præsentationem minùs canonicè factam fuisse decrevimus, & eâ penitus non obstante, concessionem ejusdem Ecclesiæ factam Magistro Vv. altero pronunciamus canonicam extitisse; cassantes nihilominus, quod per Delegatos à supradicto Archiepiscopo Senon. post ap. ad nos legitimè interpositam extitit attentatum, adjudicantes eidem Magistro præfatum Ecclesiam cum fructibus medio tempore perceptis ex ea,

plene, ac pacificè possidendam : prædicto Decano super hoc perpetuum silentium imponendo.

## NOTÆ.

1. (a) **A** *Ltissiod.* ] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* De Decano Altissiodorensi, & ejus jurisdictione nonnulla adduxi in *cap. 14. de præsumpt.*
2. (b) *Hofiensis Episcopus.* ] Hugolinus videlicet Anagninus Comes, qui Innocentio III. successit, & Gregorius IX. dictus fuit.

(a) *Servaret.* ] Legatus enim à latere potest reservare primum beneficium vacaturum, etiam si ejus præsentatio spectet ad Patronum ecclesiasti-

cum, ut probavi in *cap. licet, de offic. Legati,* ubi Commentarium hujus textus dedi.

(d) *Quasi laico.* ] Quo casu Legatus etiam à latere non potest derogare Juripatronatus, nec beneficia talis Juspatronatus laicalis conferre; imò et si à Pontifice super his beneficiis rescripta gratiæ impetrentur, retineri solent per judices seculares, ut probant Chopinus *de sacra Polit. lib. 1. tit. 4. Salgado de retent. bullar. 2. p. Salcedo de lege Polit. lib. 2. cap. 7. num. 26.* Zypeus ad hunc tit. *consult. 4.*

(e) *Alexandri PP.* ] In c. quod autem, supra hoc tit.

## CAPUT XXIX.

Idem (a) *Helienfi Episcopo.*

**P**astoralis officii. *Et infra:* Cùm autem sæpe contingat, patronos Ecclesiarum laicos nunc unum, nunc alium ad vacantes Ecclesias præsentare, sollicitè postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, an clericus ad aliquam Ecclesiam à Patrono laico præsentatus, si dicecæsanus Episcopus ipsum non duxerit admittendum, ex hujusmodi præsentatione aliquid juris assequatur in illa: & si fortè idem ad Sed. Ap. (b) appellaverit, & post appellationem ab ipso interpositam, idem Patronus alium curaverit præsentare, ac Episcopus secundo instituerit præsentatum, idem ab ipso meritò debeat amoveri. Nos igitur bon. m. (c) Alex. PP. Prædec. n. pro sua reverentia vestigiis inhærentes, qui inter præsentatos à laico conditionem possidentis censuit meliorem, dicimus, quod institutio præsentati secundo loco à laico Patrono robor obtinet firmitatis. Veruntamen constituimus, ut Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiosè recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur, quatenus (d) puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse.

## NOTÆ.

1. (a) **H** *Helienfi.* ] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* & in *cap. pastoralis, de rescript.* ubi alias partes hujus Decretalis congregavimus, & præsentem inscriptionem exposuimus.
2. (b) *Appellaverit.* ] Sed quomodo appellatione ritè interposita potuit admitti secunda præsentatio, nec ut attentata revocetur, contra adducta

suprà in *cap. 1. de appell.* Respondetur, quod licet hæc secunda præsentatio facta fuisset pendente appellatione, non tamen fuit celebrata contra appellationem, quia tunc primò præsentatus appellavit à denegatione institutionis, non verò petiit, ne secunda præsentatio fieret, ut docuit Balboa in *cap. 1. de appellat. num. 48.*

(c) *Alexander.* ] In c. quod autem, hoc tit. ubi Commentarium hujus textus dedi.

(d) *Puniatur in eo.* ] *Cap. non est, de temp. ord. lib. 6.*

## CAPUT XXX.

Idem (a) *Aurienfi Episcopo.*

**P**ostulasti per Sed. Ap. edoceri, ut cùm Rectores parochialium Ecclesiarum quandoque quosdam præsentent ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos Rectores pertineat, vel etiam ad patronos: & si in his patronorum non est requirendus assensus, utrum jus illis saluum remaneat eligendi, ut cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, titulati hujusmodi non sint aliis præferendi. Ad quod f. t. b. respondemus, quod per intitulationem hujusmodi nullum Patronis præjudicium generetur, quin possint alios ad ipsas Ecclesias, cùm vacaverint, præsentare, nisi de patroni processisset assensu.

NOTÆ.

## NOTÆ.

1. (a) **A** *Oriens.* Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. final. De Auriensi Diœcesi Galliciæ nonnulla notavi in capit. cum causa, de probat.

## COMMENTARIUM.

2. **I**n hoc textu agitur de intitulatione in Ecclesia Jurispatronatus, pro cujus expositione plura adduxerunt Covarr. & Lambert. congesti à Barbosa presenti. Et breviter sciendum est, nonnunquam Parochos, seu Rectores Ecclesiarum parochialium, sinere, immò & postulare ab Episcopo, ut alius clericus tanquam socius secum

ordinetur, & instituat in propria Ecclesia; quo casu, ne beneficium dividatur, constituitur certa portio clerico noviter ordinato ex fructibus ipsius beneficii solvenda, cap. cum non ignores 15. de prebend. cap. 37. de simon. docet Quintanaduenas lib. 3. Ecclesiasticum, num. 19. & jam notavi in cap. 2. de prebend. Dubitatur ergo ab Episcopo Auriensi, an quando ad petitionem Rectoris Ecclesiæ parochialis Patronum habentis aliquis intitulatus, id est ordinatus erat mortuo Rectore, haberet jus aliquod ad ipsam Ecclesiam? Et respondet Innocent. III. illum nullum jus habere, immò Patronum posse presentare, quem maluerit ad Ecclesiam parochialem vacantem, nisi Patronus consensisset ipsi institutioni; quia tunc defuncto Rectore tenetur illam ratam habere, nec potest eam infirmare.

## CAPUT XXXI.

Gregorius IX. Archiep. (a) Eborac.

**T**Ransmissæ ad nos tuæ litteræ continebant, quod cum Capitulum Eboracen. Ecclesiam de Gameforde vacantem, in qua jus obtinent patronatus, R. clerico concessissent, ipsi postmodum L. clericum tibi ad eandem Ecclesiam presentarunt, post appellationem ab eodem R. ad Sedem Ap. interjectam. Et infra: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum ex vi Jurispatronatus non concessio, sed representatio pertineat ad Patronum, presentatum (si aliquid non obstat Canonicum) instituere in ipsa Ecclesia poteris, utpote potiorum.

## NOTÆ.

1. (a) **E** *Boracensi.* De Metropoli Eboracensi Angliæ egi in cap. 2. de rescript.

## COMMENTARIUM.

2. **P**ræfens Gregorii Decisio ex supra traditis, & sæpius in hoc titulo inculcatis facile exponitur. Supponit enim Pontifex, Juspatronatus spectasse ad Capitulum Eboracense, & ita ecclesiasticum fuisse, & vacante Ecclesia de Gameforde Capitulum non presentasse, sed concessisse ipsam Ecclesiam R. qui cum ab Archiepiscopo non admitteretur, quia ab eo institutionem non acceperat, ad Sedem Apostolicam appellavit; interim Capitulum

agnoscens virtute Jurispatronatus non concessionem, seu collationem, sed tantum presentationem sibi competere, Lucium ab Archiepiscopo instituendum presentavit. In hoc casu consultus Gregorius decrevit secundum, Lucium videlicet, ut potiorum esse instituendum; nam licet Capitulum ut Patronus ecclesiasticus, si semel presentasset Rodericum, non posset postea variare, ex traditis supra in cap. quod autem; tamen cum ipsum non presentasset, sed absolute ipsi Ecclesiam concessisset, concessio ipsa nulla fuit, & sic non potuit impedire, quo minus Capitulum Lucium utiliter, & valide presentasset: & quia ipse in presentatione primus erat, jubet Gregorius Archiepisc. Ebor. ut ipsum tanquam potiorum instituat, rejecto R. ex traditis supra in cap. 4. hoc tit.

## TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, &amp; Procurationibus.

## CAPUT I.

Ex Concilio (a) apud Guarnac.

**S**ANCITUM est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio distribuatur, & Presbyteri in eis constituti, non de decimis, nec de oblationibus fidelium; non de domibus, nec de atriis, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, nec

de